


Cultus S. Francisci Xaverii, E Societate Jesu, Indiarum Apostoli, Ac Orbis  
Thaumaturgi, In An[n]um, menses, hebdomadas, ac dies distributus, Et  
Honoribus eiusdem inscriptus Dum In Academico templo Soc. Jesu Viennae, Coram  
Inclita Facultate Philosophica, Perillustris Adolescens Ferdinandus,  
Gabriel, Josephus, Franciscus de Menschungen, S. R. I. Eques, & Inferioris

Viennae Austriae [ca. 1720]

Asc. 3205

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10265085-2

VD18 15297497





Ex Electorali Bibliotheca  
Serenis <sup>rum</sup> Vtriusq; Bauariae  
Ducum.



th. Ascet - 2556.

asc. 3205.

CULTUS  
S. FRANCISCI  
XAVERII,

E SOCIETATE JESU,  
Indiarum Apostoli,

AC

Orbis Thaumaturgi,

IN

Añum, menses, hebdomadas,  
ac dies distributus,

ET

Honori ejusdem inscriptus,

DUM

In Academico templo Soc. Jesu Viennæ,

CORAM

Inclyta Facultate Philosophica,

*Perillustris Adolescens*

Ferdinandus, Gabriel, Josephus,  
Franciscus de Menschengen, S. R. I. Eques,

& Inferioris Austriæ Provincialis,

Rhetoricæ Studiosus,

Ejusdem Divi Novennam,

*Panegyrica dictione inchoaret.*

---

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Ignatii Dominici Voigt, Univ. Typ

Bayerische  
Staatsbibliothek  
München



## Ad Lectorem.

**A**Liquot abhinc annis, pro  
inflamanda indies pieta-  
te, in magnum Orientis  
Apostolum, orbis verò universi  
Thaumaturgum, D. Franciscum  
Xaverium, gemini libelli typis  
vulgati sunt, quorum unus *flores*,  
alter *fructus Indicos* è vita, & doctri-  
na ejusdem sancti depromptos, in  
singulos anni dies, studiosis Xa-  
verianæ pietatis Cultoribus ex-  
hibebat. Methodo aliquantum  
immutatâ cultum Divi Xaverii in  
Annum, Menses, Hebdomadas,  
ac Dies partimur, & fovendæ,  
promovendæq; pietati non quo-  
ad substantiam, sed quoad mo-  
dum duntaxat, novum pabulum  
subministramus, vel potiùs igni-  
culos



culos admovemus. Cùm is sit  
ævi nostri genius, ut nova in pre-  
tium, vetera sint in fastidio, ne for-  
tè ætatis nostræ vitio cultus in  
Divum hunc orbis Thaumatur-  
gum intepescat, hoc opusculo  
consultare placuit. A toto qui-  
dem orbe Christiano, jure sibi ho-  
norem vindicat Xaverius, quem,  
ut habet Urbani VIII. oraculum,  
*Deus adeò magnificavit, ut nomen ipsius  
honorabile fecerit apud omnes Gentes;*  
at honorandi ratio non omnibus  
æquè prompta est, ac explorata.  
Diversa cultûs norma, quæ hîc  
proponitur, methodum sugge-  
ret, eamque multiplicem, debi-  
tum honoris vectigal impenden-  
di, Apostolo de orbe universo  
virtutum, gratiarum & miracu-  
lorum donis præclarè merito.  
Fructu Lector, aut potius utere  
labore hoc nostro, Deumque, ac  
D. Tutelarem Xaverium pro  
nobis precare.

CUL-



CULTUS  
S. FRANCISCI  
XAVERII,  
INDIARUM APOSTOLI,  
Ac Orbis Thaumaturgi.

PARS I.  
CULTUS ANNUUS.

CAPUT I.

*Motiva ad excitandam devotionem  
in Magnum hunc sanctum.*

**A**D excitandam, fovendamq; pietatem in S. FRANCISCUM XAVERIUM, tum maxima illius apud DEUM merita, tum quotidiana in clientes collata beneficia, motivo esse possunt. Beneficam illius, & sæpenumero prodigiosam dexteram testantur quàm plurimi, qui sincera ad ejus patrocinium fiducia recurrerunt: neq; obscura sunt Divini spiritus charismata, quibus mirificè à DEO fuit exornatus. Omnes certè dotes, ac gratias, quas olim nascente Ecclesiâ in multos dispersas Doctor gentium

A tium

tium exprefferat 1. *ad Corinth.* 12. unus singulari prærogativa in fe complexus est XAVERIUS, ut idem Apoftolus audiret, & Propheta; doctrinâ abundaret, & virtute: ad hæc gratias fanitatum, & opitulationes; gubernationes animarum, & genera linguarum, liberaliffimè à Divino fpiritu communicata poffideret. Libet de his aliqua ad inflammandum amorem, promovendûmq; Thaumaturgi Apoftoli cultum in medium adferre.

§. I.

*Sanctus Xaverius Apoftolus.*

**N**On immeritò Apoftoli elogium fibi vindicat Xaverius; quippe qui à Chrifto Domino per fuum in terris Vicarium Paulum III. cum poteflate ac dignitate Apoftolici Nuntii, ad Evangelii lucem Indiæ inferendam, ritè ablegatus, toto decennio univerfum Orientem percurrit; ubi ultrò citròque commeandò plùs quàm centum millibus milliarium emenſis, luci reſtituit eam, quæ jam tenebris pridem obſoleverat, doctrinam Evangelicam D. Thomæ Apoftoli, ſimúlque fidem præſtitit vaticinio, quò ( ut habet Indorum traditio ) olim S. Thomas prædicatû abs fe Evangelii-

gelium in vigorem pristinum restituen-  
 dum prædixerat, tum, cùm mare cru-  
 cem in remotiore littoris parte erectam  
 alluere inciperet ( id quod sub ingres-  
 sum Xaverii in Indiam contigit ) tunc  
 nimirum ex Europa adventurum sibi in  
 Apostolico docendi munere successo-  
 rem. Myriadas infidelium isthïc fide  
 Christi imbuit, & sacro fonte expiavit;  
 quos inter complures Reges, ac Reginae,  
 Virique Principes, ac Dynastæ quàm-  
 plurimi, adeò, ut non solius Florimun-  
 di Remundi, sed & aliorum gravissimo-  
 rum Virorum constans sit effatum: unâ  
 solius Xaverii operâ plures Gentilium  
 ad Ovile Christi esse adductos, quàm  
 omnes Hæresiarchæ simul sumpti ab-  
 duxerint, neq; hoc ex vano; cùm etiam  
 Gregorius XV. Anno 1622. Sacrosanctò  
 Oraculò pronunciaverit: *Unum Xave-  
 rium plures submisisse Ecclesie, quàm suo  
 Romani, Græciq; subdiderint Imperio.* In  
 sola Civitate Amanguzi, Rege priùs con-  
 ciliato, supra triginta millia: in Urbe  
 Tolo supra viginti quinque Gentilium  
 millia, exiguò temporis spatiò, Deo cœ-  
 lóque lucrifecit, complura Ethnicorum  
 delubra, ac fana evertit; ultra quadra-  
 ginta idolorum millia ( frementibus sæ-  
 pe per aëra dæmonibus ) confregit; in-

numera verò Deo templa excitavit : in Ora Piscaria quadraginta ; in Travancoride viginti ; Plura ac plura alibi : supra duodecies centena hominũ millia propriâ manu salutaribus undis abluit : in Travancoride unius diei spatiò plus quàm dena hominum millia , impressò baptismali caractere, cœlo afferuit ; ut aded præ nimia fatigatione , loquendi usu penè ereptò, opus habuerit, qui baptizantis ( velut quondam Moyſis pro populo orantis ) brachia sustentarent. Primus Mollucensibus, Paraquariis, A-cenenſibus, aliisque ignotis, ac barbaris populis Christum annuntiavit ; primus in Japoniam , sexaginta sex regnorum amplitudine vastissimam Insulam, Christi causâ accessit , eique fidem invexit : primus in Chinaram portum pro disse-minanda Christi fide, post tot rerum discrimina , penetravit ; ubi Apostolicis laboribus fractum ; immensa nihilominus pro Dei gloria adhuc molientem , non animus , sed vires , vitâque defecere. Et verò Apostolum aliquando fore Franciscum , germana ejus Soror Badessa, eximiae pietatis Sanctimonialis Gandiæ divinitus prævidit ; quando conceptis literis enixè Patrem est obtestata, Fratrem studiis liberalibus , ac Theolo-gicis

gicis ut admoveret, quòd ille in Aposto-  
 lum Indiæ à Deo destinaretur. Aposto-  
 lum fore S. Hieronymus, singulari ap-  
 paritione visus, Venetiis & Vincentiæ,  
 significavit; cùm Francisco Indias, &  
 post decumanos labores copiosam ani-  
 marum messem cœlestibus horreis in-  
 ferendam præmonstraret. Apostolum  
 fore, Deus ipse clarè insinuabat, quando  
 suggestionibus quàm plurimis, & lucu-  
 lentissimis, has Francisco voces identi-  
 dem ingerebat: *Vas electionis mihi est iste,*  
*ut portet nomen meum coram Gentibus: ego*  
*ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomi-*  
*ne meo pati.* Stetitque sua fides visioni,  
 quam sæpius Francisco in somnis obje-  
 cit Deus, dum is videre sibi visus est In-  
 dum, flebili prece, palmisq; supplicibus  
 à se auxilium postulantiem: aliàs verò  
 Æthiopem, humeris suis gravi mole in-  
 cubantem, quem toto conatu ex loco  
 periculoso ad tutiora, velut naufragiò  
 ereptum, ad portum transportaret. In-  
 diam nimirum hæc signabant, cui, alio-  
 quin perituræ, opem divinitùs tulit,  
 quàmque ex æterno animarum naufra-  
 gio ereptam, plusquàm Herculeis lacer-  
 tis ac laboribus, ad portum cœlestem  
 transtulit Xaverius. Ut propterea Gre-  
 gorii XV. hæc fuerit de Xaverio glo-  
 rio-

riofissima vox : *Xaverius nihil minus à magnis fecit Apostolis.*

§. 2.

*S. Xaverius Propheta.*

**D**Ono Prophetiæ præditum fuisse Xaverium, agnoverunt ii, quibus intima animi sui sensa; occultas dæmonis tentationes, peccata, nullo hominum consciò patrata, & secreta cordium sæpius revelavit, coram quibus res futuras evulgavit; res distitas, tanquam si præfens adesset, enarravit. Quod in Portugallia Joannes III. Rex in favorem fidei, quod Romæ decernebat Ignatius, hoc eodem prorsus tempore in India sciebat, mandabat, & exequebatur Franciscus. Ducentis aliquando leucis ab Urbe Malaca, in qua Xaverius eâ ipsâ horâ pro concione dicebat, pugnabatur; ipse tamen abruptò sermonis filò, velut ecstaticus, primùm conticuit, tum agonizantis in morem expalluit, denique apprehensam Christi crucifixi effigiem brachiis stringens, in hæc verba lacrymabili voce prorupit : *O JESU Christe ! Deus cordis mei : obsecro te per supremos vite cruciatus, ne deseras, quos tuo sanguine redemisti !* post quæ, ubi fatigato similis, reclinato capite paulisper quievit; subito

bitò hilari vultu Malacenses alloquens, bonò animò esse iussit : simúlque incipientis, progredientis, ferventis pugnae seriem, ac ipsam denique victoriam, quam ducenti & triginta Christiani Lusitani contra quinque barbarorum milia ( non amplius tribus suorum desideratis ) retulêre, ex amussim suis Auditoribus de suggestu enarravit : quos illico ferventi oratione ad reddendas Deo gratias accendit ; adpromittens, post triduum famam de cæsis hostibus indubiè advolaturam : eventus dicta confirmavit ; quando die tertiâ Malacensium octo naves, spoliis & captivis onustæ, viginti quinque hostilia navigia ad portum appulerunt. Res futuras vaticinò oculò adedò crebrò prævidit, & prophético ore prænuntiavit ; ut passim Propheta magis, quàm Xaverius audiret : dicebátque nonnemo æquè sanctus ac doctus : Spiritum prophetiæ apud multos interdum divertisse ; at apud paucos æquè constanter, ac apud Xaverium habitasse. Hinc ruinosæ cuidam, maléque compactæ Jacobi Pereiræ navi prosperum cursum ; alteri verò velis remisq; bellè instructæ naufragium prædixit : & comprobavit eventus vaticinum ; quando illa ad portum feliciter, hæc verò ad



scopulum infeliciter appulsa, tabulas  
 sparfit. Prænunciavit interitum Urbi;  
 tragicum exitum D. Alvaro de Ataide;  
 Gregorio Alvarez adhuc infanti, futu-  
 rum sanctum religiosum; Francisco de  
 Rosalas heroicum Martyrium; Franci-  
 sco Duci de Aguiar mortem non vio-  
 lentam, sed naturalem, ac suavem; Mer-  
 catori ex Meliapore sanitatem; Joanni  
 Duro Socio suo sanctitatem, æternamq;  
 beatitudinem: verbô, supra quinqu-  
 ginta majoris momenti vaticinia, per  
 idoneos ac juratos testes, in processu pro  
 ejus canonizatione factô comperta sunt;  
 ipso eventu firmata; minùs notabilibus  
 in censum non vocatis; ut propterea  
 sacra Rituum Congregatio, Alexandro  
 VII. approbante, non immeritò edixe-  
 rit: *Xaverium Prophetia spiritu passim af-  
 flatum, plurima & locò, & tempore remo-  
 tissima enunciâsse.*

§. 3.

*S. Xaverius cœlestis doctrinæ Magister.*

**M**agistrum, non modò laurea Theo-  
 logica, & Aristoteles cum plausu  
 publico Parisiis explanatus; verùm etiã  
 cœlestis sapientia Doctorem Gentium  
 apud Indos, & Japones testata est Fran-  
 ciscum: ubi palàm divinæ Sapientiæ lu-  
 dum

dum aperuit, & legem Christi prælegit Evangelicus Professor: quàmvis vias vitæ docenti non semel mortem pro minervali, barbari discipuli minitarentur. Acerrimus vindex veritatis: hanc contra Brachmanes Indorum, Imanes Turcorum, & Bonzios Japonum Popas, errorum ac falsitatum rabulas, inspectante, & Francisci doctrinam approbante cum universa aula ipso Rege Bungii, constanter tuebatur; tantâ cœlestis sapientiæ apud illas Gentes sparsâ famâ, ut gentilis quispiam Anger (postea in baptismo Paulus) nuncupatus, ad audienda Apostolici hujus Doctoris dogmata, sex millia stadiorum peragrarè non dubitaverit. Testantur cœlestem Doctoris hujus sapientiam exaggeratæ Sanctitatis Discipuli, Gaspar Barzæus in Armuziam; Cosmus Turrianus in Japoniam; Alphonsus Cypriani in Meliaporem; Nicolaus Lancellotus in Coulan; Melchior Gondesalvus in Bazain; Ludovicus Mendez in Oram Piscariam; Antonius Criminalis (primus postea è Societate Martyr) in Comorinum ablegati: quos omnes in Ignatianæ Virtutis palæstra ad conversionem Gentium tam feliciter formavit Xaverius; ut inter Judæos, Machometanos, ac Gentiles, in

famosissimos fidei evaserint Magistros, & idololatricâ superstitione debellatâ, innumerabiles Christo animas addiderint. Ut adeò etiam adolescentuli, quos fidei Christianæ rudimentis imbuebat Xaverius, continuò tantùm non ex infantibus Concionatores effecti, docerent alios, quod ipsi didicissent: quin & ad patranda miracula, persanandos ægros, deturbanda Idola, expellendósq; è corporibus humanis dæmones, solo freti Xaverii rosariò, evolarent, ut non rarò novellæ illæ plantulæ, & prima florentis Christianitatis germina, ad Magistrum suum Franciscum cum exultatione reverterentur, & exclamarent, ut olim ad Christum Apostoli: *Ecce! in nomine tuo, etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* Erat videre cum tenerrimo animi sensu, imò cum dulcissimis lacrymis, quanto fervore ac zelò hi parvuli Angeli annosos & decrepitos senes deducerent ad Franciscum, ut hòc Doctore viam ad cœlum perdiscerent, qui jam cum canis suis tendebant ad inferos. Ut taceam plus quàm sexcentorum invictissimorũ Martyrum luculentam constantiam, in Insulis Manariis; & prope modum infinitorum in Regno Japoniæ: Ceilan, ac reliquo Oriente, qui Magistrò Xave-

Xaveriô Christianæ fidei dogmata sanguine suo consignârunt, & tutati sunt.

§. 4.

*S. Xaverii prodigiosa potestas in omnia elementa.*

**Q**uid si jam virtutum Apostolicarum nomine prodigia patrata intelligas; calamus, & lingua narrantem deficiet. Illud compendiô dixerim de Xaverio, quod Philo de Moyse: *Omnia elementa obediebant ei.* Obediebat ignis, quando ad crucis signum & vocem Xaverii domorum incendia modò ulterius serpere sunt prohibita. Obedivit aër, quando venti ad ejus imperium nunc quiescere, nunc ad propellendam secundis flatibus classem vocati, assurgere sunt coacti: quando rebellem Christo, & Lusitanis Civitatem Tolo, immisâ cœlitus lapidum, ac cinerum grandine, atq; exinde repletis vallis, attritisq; aggeribus coëgit per deditionem in obsidentium Christianorum vota descendere: quando sacrum ejus corpus infectum peste aërem, odore suo perpurgavit. Obedivit aqua; quando ad Xaverii imperium mare tumentes fluctus confregit, & sedatis tempestatibus sua Neptuno rediêre alcedonia: quando tan-

tum aquæ marinæ solo crucis signô, sublatâ falsugine convertit in dulcem, quantum quingentis Vectoribus, siti penè jam ad mortem adactis, diu sufficit ad delicias, quando denique piscatores post improbos frustraneósq; labores abitum præ desperatione jam parantes, sua retia denuò jussit laxare in capturam, conclusâ ingenti multitudine piscium; Obedivit quoque Xaverio terra; quando ad ejus imperium immanè quantum dehiscens atq; contremiscens fragore suo sceleratos ad pœnitentiam, & obstinatos Gentiles ad exuendam perfidiam salubriter concussit. Ampliùs autem in corpore suo terreo admirandus est Franciscus, quod pluribus à terra cubitis in sublime quandoque apparuit, id, *quod illi sacrificanti coram populi multitudine aliquoties evenit*: quod stimulis concupiscentiæ carnalis omnino immune (inter illos præfertim nudos, ac bestiales homines) perpetuo virginitatis flore intaminatum viruit; quod inter tot ærumnas, verbera, insidias, pestes, ac venena semper inoffensum valuit; & post mortem penitus usque in hunc diem mansit incorruptum. Virginitati, per omnem vitam à Xaverio servatæ, hæc fuit prærogativa; cujus

amo-

amore non tantùm vigil ab omni impuritatis umbra quàm vehementissimè semper abhorruit ; verùm etiam dormiens , cùm ei fortè turpe phantasma sopor objiceret , usque ad sanguinis , è naribus erumpentis , profluvium , pro tuenda castitate depugnavit ; & vel suo virgineo sanguine impudenti Veneri ruborem incussit. Sed & in brutas animantes imperium exercebat Xaverius ; quando in littore oranti, Christi crucifixi signum ( quod quadraginta ab inde leucis , ad sedandam tempestatem in mare projecerat ) obsequiosus cancer retulit, acceptâque benedictione, maris profundum rursus repetiit.

Exercebat denique Franciscus imperium in dæmones, quos ex obsessis corporibus expellebat, quotquot occurrerent : qui etiam , dum Vir Dei Insulam Moro primùm pro concione alloqueretur , eique Christum annuntiaret ; concussâ & in hiatus disruptâ terrâ , flammarum instar , visibili specie evolantes inconditis ejulationibus , ac rugitibus fugari se vociferabantur ; auditi etiam à Gentilibus per aërem clamare : *Tu nos peruris Francisce ! tu nos è regno nostro pellis.*

§. 5.

*S. Xaverius ægrorum medicus, & mortuorum suscitator.*

**S**ed neque defuit Francisco prærogativa conferendæ sanitatis. Fuit è Sociis unus, quem cum morte jam luctantem, cereóque mortuali in manibus ardente sibimet ad ingrediendum æternitatis iter prælucentem, solo amplexu continuò sanitati restituit. Fuit alius lethaliter vulneratus, qui humeris Francisci impositus subitò incolumis exsiliit. Fuit leprofus, cui simul ac eum abluit, lepram & ulcus absterfit. Fuit Malacæ Episcopus, qui ducturus ad calculum miracula sanitatum à Xaverio redditarum, tantùm in sua Diœcesi, octingentis subitò recensitis, destitit; quòd animadverteret laborem suum imparem fore tantæ copię. Fatentur id cæci, quibus visum, ut dicere posset cum Jobo: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Fatetur India, ubi non modò ipse, sed & ejusdem sacri crines, cingula, flagella, rosarium, chirographum, suggestus, oleum ex ejus lampade desumptum; imò & aqua ejus Numismate imbuta: & quod amplius est, ipsius etiam umbra innumerabiles ægrotos persanavit. Dabit ipsemet gloriam

riam Deo , & fatebitur Franciscus , qui ubi funibus cilicinis brachia , & costas ( ardore se mortificandi admirando potiùs , quàm imitando ) arctissimè constrinxisset, exindéque periculô, & incurabili vulnere laboraret, desertus à Medicis , oratione factâ , seipsum momentô restituit valetudini.

Verùm quid in sanitate tot ægris red-  
dita hæremus attoniti ? quin potiùs mortuos ad vitam à Xaverio resuscita-  
tos obstupescimus ? quorum certè tan-  
tus est numerus , ut ad certos calculos necdũ omnino potuerit revocari , quos ille partim jam ad tumulum deferen-  
dos , partim jam dies aliquot in terram defossos vitæ restituit. Reduxit in lu-  
cem servus Dei miracula jam olim à Christo Domino patrata ; quando Regulus quispiam gentilis Xaverio supplicans factus, rogabat, in domum suam ut descenderet , vitámque filiolæ demortuæ restitueret: cui Xaverius : *Abi in domum tuam ; filia tua vivit.* Discessit hoc tam sicco responso suboffensus Regulus ; sed mox ab obvio famulatio de restituta vivis filia recreatus, miraculum ubiq; de-  
prædicavit. Expostulabat alia nobilis Matrona confidenter cum Francisco, ve-  
lut quondam Martha cum Jesu : *Pater, si fuisset*



*si fuiffes hic , filia mea non fuiffet mortua. Cui ille : Confide , filia tua vivit. At illa replicans : Et qui ( inquit ) hoc fieri potest , cum jam triduo fit fepulta ? fed fidem dicto fecit Francifcus , quando deductus ad fepulchrum , apertò tumultò , redivivam Matri filiolum reftituit ; Spectatoribus hujus prodigii præ gaudio , & ftupore tantum non exanimatis. Compatur , Oppido non ignobili , adolescentulus in puteum prolapsus , & aquis haustus , jam jam humanus erat ; Matre verò à Francifco , de quo tanta prodigia inaudiêrat , cum lacrymis opem implorante , Vir Dei coram farcophago in genua provolutus , apprehensâ puerili manu , his eum verbis compellavit : *In nomine Domini JESU Christi surge !* illico refedit adolescens , qui fuerat mortuus , ac surrexit. Alium pridie fepultum , è tumulo erui juffum ita fuscitavit : duos item alios , dum efferrentur , apprehensâ eorum manu , parentibus è feretro vivos reftituit. Verbò , sunt homines omni fide digniffimi , qui authenticis narrationibus viginti quinque mortuos , à Xaverio ad vitam revocatos , jurjurandò contestati sunt. Quò tam ftupendò in jura naturæ imperiò usq; ad eò fuère attoniti quidam Gentilium , ut*

cum

cum tremore coram Francisco in genua sint provoluti, illum pro Deo adoraturi: nisi sancti Viri, hominem se, & quidem peccatorem, veri tamen Dei servum profitentis, modestia prohibuisset.

§. 6.

*S. Xaverius in mari periclitantium Patronus.*

**A** Postolicis gratiis meritò D. Paulus adnumerat *Opitulationes*, seu auxilium ardentè advolans in proximorum subsidia. Omnis porrò Xaverii vita in hunc unicum scopum collimavit, ac defudavit; quam (ut sileam domum, parentelam, patriam, consanguineos, amicos, & totam deniq; Europam, quæ omnia impellente animarum zelò deseruit) totam ipse subsidio vel ignorantium & peccatorum, vel pauperum & oppressorum, vel ægrotorum & periclitantium plenè consecraverat: aded, ut cùm adesse singulorum necessitatibus ubique non posset, divinò munere mortalibus alioquin inconcessò, sæpe uno eodémq; tempore pluribus in locis (& ut ajunt Philosophi, *replicatus*) visibiliter comparens, omnium suam opem implorantium calamitati sublevandæ occurreret. Procul absens à quodam nau-

naufrago invocatus, momentô præsen-  
 tem se stitit, totóque triduô natanti ad-  
 stitit, donec consumptis cæteris naufra-  
 gis, unicus ille tabulæ beneficiô deside-  
 ratum portum salvus contingeret. Eô-  
 dem portentô decem aliis in malè com-  
 pacta, & de interitu periclitante navi-  
 cula invocatus, repentè præsens adfuit,  
 salvósque è manifesto periculo eduxit.  
 Cujus rei famâ divulgatâ longè plus  
 spei capiebant nautæ ex laceris ac rui-  
 nosis navigiis, quibus præsens adforet  
 Xaverius, quàm ex integris, omníque  
 ad navigandum apparatu bellè instru-  
 ctis: mercimonia magnô ære persolu-  
 tó, etiam à Gentilibus in eas naves com-  
 portabantur, quibus vehebatur Xave-  
 rius: imò Mercator quispiam Maho-  
 metanus in lucro reposuit, duplicatô  
 naulô eam pro suis mercibus navim  
 conduxisse, in qua vehi noverat Xave-  
 rium. Sacra demortui Apostoli lipsana  
 malè materiata navis fortè deferebat,  
 jámque ab imminente scopulo grandis  
 metus incubuerat; cùm ecce inclama-  
 tus à Navarchis Franciscus effecit, ut  
 non navis ad scopulum allisa; sed, quod  
 stupendum, scopulus ipse bifariam dif-  
 fractus, securum transitum faceret na-  
 vi, tam sacris mercibus onustæ. Cúmque  
 sacrum

sacrum ipsius brachium, quô tot centena hominum millia per baptismum cœlo initiavit, Goâ Romam deveheretur, implacabilibus tempestuosum mare exarsit furiis, rebus jam penè omnibus conclamatis : ad invocationem tamen Xaverii venti, & fluctus posuêre, suâq; mari rediit malacia. Quô factum, ut etiamnum à navigantibus non modò Christianis, verùm etiam idololatriis, pro Cynosura, & Patrono maris suspirii cæperit.

§. 7.

*S. Xaverius Patronus Peste infectorum.*

**P**Ræfatis miraculis, ad Dei majorem gloriam, Sanctique Xaverii honorem, addi possunt sequentia, jure tantò majore, quantò sunt recentiora : nè quis existimet, virtutem prodigiorum operatricem, tractu temporis, in Xaverio defecisse. Potami (Urbs est Calabriae in Italia sita) novissimis hisce temporibus Thaumaturgus noster innumeris cœpit coruscare prodigiis; quorum notabiliora ducenta & quadraginta duo, idoneis ac juratis testibus ritè firmata, ab Ecclesiastico foro illic recognita, conscripta, & proprio motu pro ampliando Sancti hujus honore typis vulgata nuper vidimus,

mus, & cum admiratione legimus. Narratur ibi iusto volumine, qualiter D. Xaverius imploratus, omnis generis ægris, à pestilenti febre, lepra, cancrena, epilepsia, cæcitate, paralyfi, apostematis, sanguinis profluvio, & id genus aliis periculosissimis morbis oppressis, malò licèt jam per complures annos radicató, & inveterató, medicam manum cœlitus attulerit: qualiter non pauci, quos jam supremus agon ad vitæ mortisque confinia deduxerat, quin & è vivis sustulerat, sibi suisque incolumes sint rediti, posteaquam plurium horarum, imò etiam trium, quatuor, nonnulli quoque sex dierum spatiò inter vivos esse desierant. Quòdque omnem admirationem superat, etiam jumenta & altilia, ut vaccas, gallinas, &c. idem Sanctus piâ simplicitate invocatus sæpius vitæ restituit, malò geniò obsessos liberavit; quibusdam ægris spectabilem sese de cœlis præbuit, rerum divinarum narrationibus eos consolandò, manu propriâ sudorem detergendò, ægra membra contrectandò, & ad miraculosam suam Imaginem in Ecclesia Potamiensi publicæ venerationi expositam, invisendam, piéq; colendam, conceptaque vota adimplenda, comiter est adhortatus: nonnullos  
alios

alios suaviter increpans , quòd se de fe-  
 rendo auxilio interpellâssent. Nota est,  
 & ubique gentium decantata Malacen-  
 sium , Parmensium , Neapolitanorum ,  
 aliarúmque nobilissimarum Urbium de-  
 votio , qua ob sedatam ejus patrociniò  
 atrocissimam pestem in patronum pu-  
 blico cum applausu sibi delegere Xave-  
 rium. Nota est Justissimi Cæsaris Ferdi-  
 nandi III. ( Aug: mem: ) eximia pietas,  
 qui S. Francisci Xaverii diem indictis  
 publicis honoribus ab universa Aula ce-  
 lebrari voluit, ut eum Tutelarem mere-  
 retur ; sciebat nimirum sacratissimus  
 Imperator, S. *Xaverium*, etiam ex effato  
 Gregorii XV. esse *Christiani Imperii Pro-*  
*pugnatorem*. Certè paucis abhinc annis  
 Græcii Styrorum , cùm grassante peste  
 sacra D. Xaverii Icon publico cultui in  
 templo RR. Patrum Soc. Jesu exponere-  
 tur , ab illa ipsa expositionis die ( quod  
 benè observandum ) nulla omninò am-  
 pliùs persona atroci hoc malo est affla-  
 ta. In cujus rei memoriam , simùlque  
 ob semper continuata hucúsque nova  
 prodigia, templo suo extraordinarium,  
 & perelegans Sacellum , sancto huic so-  
 spitatori addidère præfati Patres, ut po-  
 puli devotioni aliquatenus fieret fatis.  
 Quid Roma debeat suo Opitulatore Xa-  
 verio,

verio, fatetur ipsa sparsis per universam Europam S. Xaverii Iconibus æri incis-  
 sis, qui nuper grassante inibi pestiferâ  
 lue, centenos, ac centenos ab interitu  
 prodigiosè vindicavit. Cujus proinde  
 honori, Templâ & Aræ complures pas-  
 sim excitantur, & Icones novis ac novis  
 semper miraculis illustres, indies pin-  
 guntur, ærique incisæ excuduntur non  
 sine reciprocis, ac manifestis gratiis, quas  
 Deus honorem servi sui promoventi-  
 bus liberaliter reponere consuevit.

§. 8.

*Principum, Regum, ac Pontificum de  
 S. Xaverio existimatio.*

**M**agnum est, inquiebat Cornelius  
 Tac: regere Urbes, ac Provincias: sed  
 majus animis imperare. Et Curtius de  
 Alexandro: Plus, inquit, laudo Imperato-  
 rem animorum, quàm Regnorum. Enituit  
 hoc Imperio Xaverius, in quo mira quæ-  
 dam potestas gubernandi, ac flectendi  
 mortalium animos, sive in communi  
 vita cum populo, sive in regimine cum  
 Sociis, sive in alloquio cum Ecclesiasti-  
 cis, Principibus, ac Regibus versaretur.  
 Quapropter ad clavum universæ Socie-  
 tatis destinabatur ab Ignatio. Paulus III.  
 Pont: Max: Xaverii adhuc viventis san-  
 ctita-

Etitatem mirificè suspiciebat. Marcellus II. desiderio videndi hominem, famam miraculorum, & tot Gentium conversione usque adeò celebrem, ex Indiis Romanam ad tempus revocare decreverat. Paulus V. multis & eximiis virtutum, gratiarum, miraculorum donis à Deo illustratum prædicabat. Rex Lusitaniæ Joannes III. (cujus molimine Indias intrarat Franciscus) illius nutum pro imperio venerabatur; eumq; nunc *Angelum*, nunc *Sanctum Dei* compellabat. Rex Amanguzii, & Rex Bungi (qui cum baptismo etiam Francisci nomen à Xaverio sibi imponi voluit) incarnatum Deum, oracula fundentem, suspiciebant. Rex Travancoridis publicò edictò sanxerat, ut regnicolæ *Magno Patri* (sic Franciscum vocabat) non secùs ac sibi magno Regi in omnibus obtemperarent: cujus honori etiam deinde Ecclesiam condidit, ac regali munificentia dotavit. Rex Tanoridis & Regina Ternatena dicentem pro concione Xaverium audire avidè desiderabat: felicior in hoc Rex ipse & Princeps de Firando, ac alii, qui sacrà illius eloquentia permoti, calcatis idolis, manus Christo dedere, suoque exemplò multa subditorum millia fidei Catholicæ addidere. Verbo: præsens,

ab.



absénsq; singulorum corda velut cerea, partes in omnes flectebat, ut proinde etiam Gentiles ejus honori Templum excitârint Cotadæ, in quo admirandum illud accidit; quòd, cùm à petulantibus & malevolis pro sublato oleo aqua infusa fuisset lampadibus, aqua non secus, quàm oleum ardere perrexerit: imò cùm aquam ipsam, & lychnos sacrilegi illi mutarent, lychni arcanâ quâdam vi reaccendebantur. Simile ferè deinde accidit Goæ ad sancti sepulchrum, ubi trispithamalis candela continuos octodecim dies, ac noctes indefectibiliter arsit. Quid demum in omni animorum regimine majus, quàm totos armatos barbarorum exercitus severò superciliò, & gravi oratione in metum ac fugam agere? egit ( uti quondã Leo Pontifex ) Xaverius.

## CAPUT II.

### *Praxis annuæ devotionis.*

**C**ùm sublimis illa sanctitas, quàm in Xaverio suspicit, ac veneratur orbis universus, à veritatum æternarum frequenti meditatione primùm nata, dein continuis incrementis aucta sit, non piget imitari, quod celebrare delectat, monitum est Magni Aurelij Augustini. S. quo-

quoque Indiarum Apostolus *lib. 2. ep. 5.* id ipsum præcipit, dum in hæc verba scribit: Quotidie per unum quadrantem hanc sententiam mente volve, & revolve: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Eum in finem pro cultu annuo S. Francisci Xaverii geminas considerationes ultimâ, & primâ die anni obeundas hîc statuimus, quæ animum disponent, ut reliqua Virtutum, ac devotionis opera meliùs, & perfectiùs exequatur.

*Devotio ad S. Franciscum Xaverium  
pro ultima die anni.*

*Oratio Præparatoria.*

**P**ie Pater, S. Francisce Xaveri! Patrone mi dulcissime! Ecce pedibus tuis advolutus, te humiliter deprecor, & exoro, ut pro me infimo cliente tuo intercedere digneris apud Divinam Majestatem, mihi quæ efficacem impetrare gratiam, qua defectus, negligentias, & peccata mea cognoscere valeam, & deflere; iisque emendatis residuum vitæ meæ tempus divino tantùm servitio, animæq; meæ saluti constanter impendere. Hanc gratiam, pie Pater, ut per tua sanctissima merita à Divina Bonita-

te mihi obtineas, ardentè supplico : Atque hunc in finem offero tibi omnia mea anni præterlapsi bona opera, præsertim hujus diei, quamvis valde exigua, & imperfecta; ut tu ea pretiosissimis JESU Christi meritis unita, æterno Patri offeras, ad gratiã hanc impetrandam, Amen.

*Consideratio de negligentis, & peccatis anno præterito in Deum admissis.*

**I**Nstitue considerationem hanc super illa verba Evangelii : *Redde rationem villicationis tuæ !* Cogita igitur, te ante tribunal supremi Judicis consistere, & hoc ipsum à te quæri : *Redde rationem !* Ecce, annus unus rursus præterlapsus est, pauculæ tantùm adhuc supersunt horæ, & hæ fors ultimæ vitæ tuæ. Inspice ergo conscientiam tuam, & diligenter inquire: an non in ea reperias aliquid, cujus rationem reddere Deo Judici non posses, quòdque animam tuam in æternæ salutis discrimè conjiceret. Hoc ut faciliùs deprehendas, ingredi con-  
scientiam tuam, discute accuratè cogitationes, & verba; expende opera, & omissiones, ut videas, quæ te in his omnibus hætenus habueris. Et circa cogitationes quidem examina: an non ex his aliquæ vanæ fuerint, & superbæ, impuræ,

puræ, & lascivæ, invidæ, & iracundæ, gulosæ, aliorum despectivæ? an non in animo tuo diuturnas inimicitias, & odia foveris, desideria te vindicandi habueris, dolos, & artes decipiendi proximum, eiq; damnum aliquod inferendi, excogitaveris? an non temerarias suspiciones, & judicia, contra alios admitteris? an in blasphemis, desperabundis, vel similibus incidentiis, te detinueris? an de aliquo fidei articulo dubitaveris, aut alia quacunque cogitatione, & affectu, Deum tuum offenderis? si quid fortasse deprehendes, confitere Patri tuo cœlesti culpam tuam, dole de illa ex toto corde; roga humiliter veniam, & gratiam te emendandi.

Transi deinde ad verba, & cogita, etiam de his tibi dici: *Redde rationem!* Redde igitur hanc tibi ipsi in tempore, ne olim cum timore, & tremore reddere eam debeas in æternitate. Proinde expende, & non sine dolore recogita, quoties verba inutilia, & otiosa, vana, & jactabunda, ambitiosa, mendacia, fors etiam cum juramento, impura, & lasciva, cum, vel sine scandalo locutus sis; quoties iracunda, & rixosa cum execrationibus, imprecationibus, juramentis; quoties blasphema, detractoria, contu-

melioſa, adulatoria, murmuratoria contra ſuperiores tuos protuleris? &c. Etiam in his ſi reum te cognoveris, ſerio dolore culpas tuas coram Deo deteſtare, pete veniam, & ſtatue, illud quotidie ſæpius iterare: *Da Domine, ut custodiam vias tuas, ut non delinquam in lingua mea!*

Inſpice nunc etiam opera tua, & vide; utrum, ſi hodie tibi moriendum eſſet, præmium ex iis exſpectare poſſes, vel potiùs pœnam? pœnam certè vereri debes, ſi pretioſiſſimum tempus otio perdididiſti, ſomno v. g. nimo, aut luſu, alios inſuper decipiendo, rixando, officium debitum negligendo, omittendo orationes, ad quas obligatus eras, vel ex voto, vel ex beneficio, vel quas ſolebas recitare; Intermittendo miſſam, die feſto, aut aliàs ex mera negligentia, vel contemptu: non audiendo concionem, etſi commodè potuiſſes; diſtractionibus inter orandum ſemiplenè, vel plenè voluntariè inhærendo. Pœnam iterum vereri debes, ſi ſtatis diebus jejunium non ſervâſti, vel carnes comedendo, vel duas refectiones ſumendo; ſi negotia officii tui obiter, & negligenter peregiſti, cum, vel ſine damno aliorum, alios deſpiciendo, te autem laudando, & ex-  
tok

tollendo; si avarus, & durus erga pauperes, afflictos, vel alios fuisti; si tactus lascivos exercuisti in proprio, vel alieno corpore, aut exerceri permifisti; si fornicationem, adulterium, furtum, homicidium admisisti; si iracundus, invidus, acediosus, inobediens tuis superioribus in rebus licitis fuisti; si proximum emptione, aut venditione decepisti; si aliis scandalum, vel causam alicujus peccati dedisti, &c. Si ergo hæc, aut similia fuerunt opera tua; expende, quid feceris, dum hæc fecisti; toties, quoties, graviter, aut leviter in Deum tuum peccando. Profecto, si hujus infinitam Bonitatem, & immensam in te charitatem; tuam e contra malitiam, & ingratitude nem rectè examinas, & attendis; dicere procul dubio contrito corde debebis.

O Pater misericordiarum! quid retribuui tibi pro dilectione tua? nil nisi peccata, negligentias, & ingratitude nem. Utinam! nunquam te offendissem, nec offenderem posthac in æternum; Tibi soli peccavi, ô Deus meus! & malum coram te feci. Doleo, de his NN. maximè, & de aliis omnibus peccatis, negligentis, & offensionibus meis, in te unquam admillis, propter te infinito amore, & honore dignissimum, quem

his offendi. O misericordissime Deus ! non permittas me damnari, quem tu de nihilo creâsti. O Deus summè amabilis ! quem amo nunc , & diligo super omnia ; & ex hoc ipso tui amore te offensum ex animo dolco, & erubesco.

Cupio etiam, mi Deus ! & ex eodem tui amore firmiter statuo , ac propono , vitam meam emendare ; te Deum meum nullo ampliùs peccato offendere , præsertim his NN. Tu , ô Deus cordis mei ! suscipe hoc propositum meum, & sincerum animi mei decretum ; perfice illud , & da abundantem gratiam tuam mihi fragili creaturæ tuæ id exequendi, tibiq; soli usque ad mortem constanter serviendi. Volo enim , & desidero , ab hoc momento mori potiùs, quàm fædari, aut te Deum meum ullo peccato offendere. Hoc à te rogo , & à te spero, per infinita Filii tui merita , & Sancto- rum patrocinia , Amen.

Ut autem culpas tuas, & negligentias, annúmque malè transactum, serio animo detesteris ; Ecce ! exemplum tibi propono , magnum Indiarum Apostolum, Franciscum Xaverium. Fuit hic quidem vitæ semper integerrimæ, & innocentissimæ ; nunquam illi animus , sceleribus , pravisque consuetudinibus in-  
qui-

quinquatus, sed integer semper, illibatus-  
 que; ut non pœnitentibus, sed innocen-  
 tibus tantum, atq; ad sanctiora aspiran-  
 tibus statui in exemplum debeat; quia  
 tamen post initam cum Ignatio societa-  
 tem tanta egit, passusq; est, ad expiandos  
 nævulos suos fragilitate magis, quàm  
 malitiâ contractos, ut maximis etiam  
 peccatoribus pœnitentiæ speculum esse  
 possit, eum tibi, reus sis, an innocens,  
 imitandum, tuis nempe pro viribus, sta-  
 tuo. Quid sanctus hic hoc in genere ege-  
 rit, passim in ejus vita reperies, utpote  
 quæ ex toto perpetua quædam esse pœ-  
 nitentia videbatur. Sub ipsum statim  
 conversionis suæ initium, innocuam il-  
 lam in saltibus exercendi sese agilita-  
 tem, multorum dierum supplicio vin-  
 dicavit, noxiis membris funiculo non  
 sine acri dolore constrictis. Eodem tor-  
 mento adedò corpus suum attrivit, ut in-  
 tumescente circum carne spontè assum-  
 pta vincula neq; eximi, neq; incidi pos-  
 sent. Quàm frequens in jejuniis, quàm  
 rigidus in somno, & quiete, quàm seve-  
 rus in ciliciis, & disciplinis fuerit, abun-  
 de constat: certè pro maximis expian-  
 dis flagitiis majora non exspectares. Ut  
 autem discas, quomodo vita tua dein-  
 cept instituenta sit; quomodo cogita-



tiones, quomodo verba, quomodo opera ordinanda ; audi sancti tui salutare monitum, & exequere : *Unum*, inquit ille, *unum omnino timeamus, nè DEUM ipsum offendamus.* lib. 3. ep. 5. Et alibi : *Ante omnia tui memento, DEO primum, tuæ deinde conscientiae satisfaciens.* lib. 4. ep. 4. Nempe quod fecit, etiam docuit ; Sic enim de illo Tursel. l. 1. c. 5. Horariâ diligentiam se, motusque, & innatas affectiones in censuram vocabat, an harum ductu potius, vel supernaturalium motivorum impulsu ageret, vel ageretur ? Habes igitur vitæ tuæ exemplum ; habes modum, quem imiteris. Si non vacat, tantum salutis tuæ tribuere, ut toties per diem temetipsum in examen voces, binos saltem diei quadrantes, à meridie scilicet unum, alterum ante quietem, huic impende negotio ; SS. pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta frequenter accede, operibus tuis bonas intentiones identidem præfige ; & erit, ut, qui hoc anno pœnam fortassis promeritus es, & desolationem ex vita tua percepisti, reliquo vitæ tempore, ac in ultimo præsertim agone præmium merearis, & consolationem. His subjice Psalmum Miserere, & mox ter recita sequentem Orationem :

Domi-

**D**omine JESU Christe, Deus cordis mei, per illa quinque vulnera, quæ tibi in cruce nostri amor infixit, intercedente B. Francisco Xaverio, famulo tuo subveni, quem pretioso sanguine redemisti.

*Devotio ad S. Franciscum Xaverium,  
pro prima die anni.*

*Oratio Preparatoria.*

**T**E hodie, S. Pater, Francisce Xaveri, Patronum, & Intercessorem meum apud Divinam Bonitatem humiliter obsecro, & obtestor; ut miserrimi hujus servi tui curam suscipere digneris, utque anno hoc, potenti auxilio, & intercessione tua in divino servitio ita me regas, munias, & confortes; ut nihil, quod divinis, aut tuis in me oculis displiceat, unquam committam; sed potiùs Deo meo per omnia ferviens, in ejusdem fervore, & gratia semper cresciam, præteritos errores emendem, meque tibi ampliùs, & ampliùs ad mortem usque conformare contendam, Amen.

*Consideratio de reparando tempore perduto.*

**E**Rit consideratio hæc super illa verba Salvatoris: *Vigilate, quia nescitis.*

*qua hora Dominus vester venturus sit. Cogita igitur te velut in vigiliis esse, & in singula momenta expectare adventum Domini tui, donec veniat, initurus rationem cum servis suis.*

Miraris fortè, tam importunam, planèq; incongruam festivæ diei hujus solennitati, considerandi materiam tibi proponi; sed frange corticem, vide, & gusta, quod tibi amaro sub schemate hìc apponitur; dulces procul dubio fructus, & suaves animæ tuæ delicias deprehendes. Quas illas? fervorem nempe spiritûs, & sacram quandam animi aviditatem, tempus omne divino servitio, comparandisque copiosis lucris, pro instante indies æternitate, impendendi. An non enim seriò ages negotium salutis tuæ? si identidem cogites, nullum mensem, nullam hebdomadam, diem nullum, imò ne unicum quidem momentum elabi, in quo expectare non debeas adventum Domini, diem rationis reddendæ, diem terribilem, & horrendum nimis. Quòd si verò negotium hoc seriò egeris; an non orabis frequentius, & ardentius? an non conscientiam tuam identidem expiabis? an non vel ad umbram peccati gravis expavesces? imò, an non minimos quòsque nævos,

quos

id, s, óno,

iq' s 'qup' s 'c

quos fortè aliàs velut aquam bibisti, sollicitè fugies, & cavebis? Certè non jam ampliùs odia, aut inimicitias fovebis; impuritate, & lasciviâ non ardebis; Superbiâ, & vanitate non intumesces; non laborabis invidiâ, & ut verbo dicam: declinabis à malo, & facies bonum; morieris peccato, & vives Deo: atque ita proficies de virtute in virtutem, usque ad perfectum diem. En hìc fracto cortice fructum suavissimum, bonæ scilicet, & pacatæ conscientiæ; nam ut quidam ait: *Si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo*

*Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.* Hæc si expendas, disces tandem, quod ratio suadet, & experienciâ constat, moriendum scilicet tibi aliquando esse, deserendum hunc mundum, ad æternitatem, velis, nolis, abeundum: sed ubi arduum hoc iter auspicator, quo loco, aut tempore, qua occasione, quo modo, & apparatu ingressurus illud sis, non deprehendes. Illud expavesces, à tam dubio, tamque ignoto momento, totum pendere æternitatis negotium, salutem, aut damnationem animæ tuæ nunquam permittendam. Quid autem ex sacro hoc horrore concludes? illud certè, ut vigiles,

ut cautus in omnibus sis, ut semper paratus, semper de æternitate sollicitus, semper fidelis in obsequio Domini tui inveniaris. Si enim vivâ fide apprehenderis: mortem tibi eventuram certè, càmque semel tantùm oppetendam, errorem in eâ commissum nunquam corrigi posse; periisse hìc semel, esse, æternùm periisse: momentum vitæ ultimum, esse decretorium instans, à quo summa salutis nostræ dependet; hac perditâ, perdi omnia, & perdi in æternum. Sollicitè curabis negotium illud, de quo Christus pronuntiavit: *Porro unum est necessarium.* Actiones difficiles rarò primâ vice bene fiunt, & ideo repetuntur, ut corrigantur. Quid difficilius, quàm mori? actio hæc inusitata certè, ac difficilis; & tamen repeti nunquam potest, ut correctione emendetur. Semel tantùm oppetenda mors est, semel tantùm obeunda. O homo, quisquis es! hìc certè curâ, hìc sollicitudine opus est, nî semel hìc errando, æternùm aberrare velis à tuâ salute. Si trium dierum spatium tibi concederetur, ad metam te exercendi, eo pacto, ut si deinde jactu scopum attingeres, creandus fores Rex; si aberrares, comburendus. Dic oro, quid hìc ageres? Quâ diligentia te in  
jactu

jactu ad metam exerceres ? en ! periculofior est conditio tua ; nunc quidem vivis , ita tamen , ut ad scopum æternitatis continuò jaculeris , felix æternùm , aut miser futurus , prout bene , vel malè mortuus fueris . Vis fcire , qualis mors obventura fit tibi ? cape paucis : mors est talis , vita qualis . Non uno momento discitur , quod nunquam fuit antè in usum redactum ; non dediscitur uno momento , quod semper in usu fuerat . Rarum est , bene viventem , malè mori ; & malè viventem , bene mori , prodigium est . Hinc statue bene vivere , ut bene moriaris .

Jam verò , an cura hæc toto corde Divino obsequio te impendendi , non intimè tibi infixæ esse potest ? si cogites , Deum certò existere , cui satisfaciendum ; animam te habere , cui salus æterna comparanda ; hostes terribiles , quibuscum dimicandum ; instare judicium quod formidandum ; esse infernum , qui evitandus ; Coelum , quod comparandum ; agonem ultimum , qui subeundus : O quantæ res ! imo quanta animi incitamenta tui ; ut bene vivas , ut Deo tantùm vivas ! Deo satisfacere te oportet , qui , cùm multa tibi dederit , multum à te requiret ; & à quo cum multum

tum

tum expectes, strenuè tibi laborandum est, ut multum promerearis. Animam tuam ad felicitatem æternam promovere te oportet: an non hoc negotium negotiorum, hoc opus, hæc cura præcipua esse debet vitæ tuæ? hinc enim de te agitur, pro te, pro tota æternitate laboratur. Quid igitur non tentandum, quæ adversa, quæ curæ non suscipiendæ, ut bene labores, bene patiaris? cogita, quid non audeant, quid non aggrediantur hostes tui, ut te perdant; & animadvertes, quid agere debeas, ut te serves, ut salvus fias. Digna est cœlestis patria, ut, si unâ tantùm horâ possessurus eam aliquando esses, te totum pro hac hora impenderes; & quid non impendes, ut totâ æternitate eam possideas? Tanta sunt inferni tormenta; ut, si exiguo tantùm tempore subeunda forent, totam vitam tuam cum metu, ac tremore traduces, nè paucis horis illic tam horrenda patiaris; & quid ages, nè patiaris in æternum? felicem te! si his semper principiis insistas, si his vitam tuam conformes: certè sic viventem non mundi lenocinia, non carnis illecebræ, non styx ipsa transversum aget. Vigilabis nempe, & constanter vigilabis, nè imparatum te Deus inveniat, quâcunque horâ

cita.

citaverit ad tribunal; vigilantem autem dies nulla, nulla hora, sine fructu, sine lucro pertransibit; atq; ita demum fiet, ut fervore spiritûs perditum hætenus tempus recuperes, & cum animæ tuæ ingenti solatio novum hunc añum non exordiaris tantùm, sed etiam concludas.

Si, quo fructu, quâ diligentia, tempus suum impenderit, magnus Indiarum Apostolus, scire fortasse desideras; non unum tibi ejus annum, sed totam, quam vixit, ætatem, illam præsertim, quam cum Ignatio, aut hujus sub cura traduxit, perpendendam tibi esse scias. Quare, nè eadem sæpius repetamus, vitam ejus, ubi placuerit, tantisper pervolve, & ubique, quò dies vitæ tuæ fructuosè impendas, abunde intelliges. Unum tamen, alterùmve monitum sancti hujus, hìc tibi exponendum proponimus: *Primum*, inquit ille, *& antiquissimum tibi sit, Dei obsequium, & animi tui cultus; ex hisce fontibus cetera promanabunt.* Lib. 1. Epist. 2. Et rursus alibi: *Perfectè exequere; quæ Deo placere noveris, sic prorsus, ut fecisse gauderes in momento mortis tuæ, quando sistêris ante tribunal DEI.* Lib. 5. Epist. 14. Hoc statue, & exequendi auxilium à Sancto pete; deinde subjunge sequentem Hymnum:



**O** DEUS ! ego amo te ;  
 Nec amo te, ut salves me,  
 Aut quia non amantes te  
 Æterno punis igne.  
 Tu, tu, mi JESU ! totum me  
 Amplexus es in Cruce :  
 Tulisti clavos, lanceam,  
 Multamque ignominiam,  
 Innumeros dolores,  
 Sudores, & angores,  
 Et mortem, & hæc propter me,  
 Ac pro me peccatore.  
 Cur igitur non amem te,  
 O JESU amantissime ?  
 Non, ut in cœlo salves me,  
 Aut nè æternùm damnes me ;  
 Nec præmii ullius spe ;  
 Sed sicut tu amâsti me,  
 Sic amo, & amabo te ;  
 Solùm, quia Rex meus es,  
 Et solùm, quia DEUS es, Amen.

*Formula S. Xaverium in Patro-  
num eligendi.*


**S**ANCTE, & gloriose Indiarum Apосто-  
 le, Francisce Xaveri, ego NN. tuâ,  
 quâ in omnes te invocantes benignus  
 es, pietate invitatus, te hodie in Patro-  
 num, & Advocatum eligo, & corpus, ac  
 animam meam ; omnem spem, & con-  
 sola-

solationem meam ; omnes angustias, ac  
miserias meas ; vitam , & finem vitæ  
meæ, in sinum tuæ charitatis commen-  
do. Obsecro te igitur , suscipe me in  
clientem perpetuum, ad sis mihi in om-  
nibus actionibus meis , ut eæ ad omne  
Dei beneplacitum dirigantur, Amen.

*Formula S. Xaverio se devovendi.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus , qui  
S. Franciscum Xaverium gratiâ o-  
pitulationum universo orbi celebrem  
effecisti : Ego NN. licet Divino tuo con-  
spectu indignissimus, fretus tamen ejus-  
dem S. Francisci Xaverii intercessione ,  
coram Divina tua Majestate prostratus  
voveo, me, quoad vita, & sanitas indul-  
serit ( *quot annis Decennam Xaverianam,  
vel tertiam diem Decembris , quæ eidem S.  
Xaverio sacra est, confessione, & sanctissimæ  
Eucharistiæ sumptione celebraturum, &c.* )  
Accipe misericordissime Deus, indignis-  
simi servi tui humile votum, & præsta,  
ut , quod meis meritis non valeo , id  
S. tui Francisci Xaverii patrociniò , &  
piâ intercessione assequar. Per Chri-  
stum Dominum nostrum,  
Amen.





PARS II.  
CULTUS MENSTRUUS,

SIVE

*Praxis colendi S. Franciscum Xaverium,  
specialiter uno die cujuslibet mensis.*

**C**onsistit hæc devotio in eo, ut singulis mensibus unâ die specialia quædam pietatis opera peragantur, ad honorem hujus Sancti, prout unicuiq; sua devotio, occasio, & aliæ circumstantiæ suadebunt, & permittent. Talia possunt esse Confessio, Communio, auditio sacri, aut plurium, visitatio Altaris hujus Sancti, recitatio Officii, Litaniarum, aut aliarum precum, jejunium Ecclesiasticum illâ, aut præcedente die, aliâque pia opera.

Convenit hæc devotio cum illa vulgari, per continuos decem dies Veneris institui solitâ, quòd nimirum, sicut in ista singulis hebdomadis celebratur unâ die commemoratio Xaveriana: sic in illa singulis mensibus una dies eligatur pro hac devotione Xaveriana. Imò, quia aliquibus est incommodum per continuos decem dies Veneris istam devotionem celebrare, fortassis autem com-  
modi-

modiùs hanc devotionē in decem menses dividere, finis & intentio, ac reliquæ praxes æquè accommodari possunt. Porro ut tunc annus sit integer, si cui placeat, addere posset reliquos duos menses, seu dies singulos in his mensibus, unum pro præparatione, & ultimum pro clausula hujus devotionis, in memoriam decem annorum, quibus S. Xaverius in India, & Japonia pro Christo, & animarum salute laboravit. Dixi, ut communiter dicitur, quod S. Xaverius laboraverit annis *decem*. Si tamen accuratam temporis rationem incamur, præcipuè si ipsum etiam iter, quod sive ex Urbe Romana, sive ex Europa suscepit in Indias, computemus, tempus hoc ultra decem annos se extendit. Nam anno 1542. 6. Maii venit in Indiam; ergo si vel hinc initium operationis Xaverianæ sumatur, ultra annos decem adhuc restabit tempus à 6. Maii 1552. usque ad 2. Decembris ejusdem anni, quâ die sanctus obiit. Si addamus iter ex Europa, seu Lusitania, illud ingressus est 7. Aprilis anno 1541. si etiam iter ex Urbe in Lusitaniam, abiit sanctus Româ anno 1540. in Martio. Ex quibus sufficiens materia, & fundamentum habetur pro numero, qui sit major denario, ad cultum Xaverianum.

Sed

Sed jam quæritur, quæ dies quovis mense sit eligenda. Unus modus esset, si illa dies eligeretur cujuslibet mensis, qua illo ipso mense aliquid memorabile accidit S. Xaverio. Tales sunt:

Dies tertia Januarii, quâ anno 1634. Neapoli contigit prodigiosa, à S. Xaverio facta sanatio P. Marcelli Mastrilli Societatis JESU.

Dies quinta Februarii, quâ celebratur festum primorum Japoniæ Martyrum, qui anno 1597. tanquam primi flores ex labore Xaveriano prodiêrunt.

Duodecimâ Martii, año 1622. P. Franciscus Xaverius à Gregorio XV. est canonizatus.

Septimâ Aprilis, anno 1541. Olysiopone solvit in Indiam.

Sexta Maii, anno 1542. venit in Indiam.

Vigestimâ quartâ Junii, anno 1537. Venetiis Sacerdotio initiatur.

Trigestimâ primâ Julii, anno 1556. moritur, & in Ecclesia celebratur sancti in Christo filii Xaverii, S. Pater Ignatius.

Decimâ quintâ Augusti, anno 1534. prima cum fociis vota emittit Parisiis in monte Martyrum. Eâdem die primum in Japoniam venit.

Trigestimâ Septembris festum S. Hierony-

ronymi, qui año 1537. Vincentiæ S. Xaverio spectabilis, ei futura prædixit.

Quartâ Octobris, dies Patroni nominis S. Francisci Xaverii. Natus est anno 1497. vel

Dies vigesima quinta Octobris, quâ anno 1619. à Paulo V. Beatificatus est, concessâ de eo Missâ, ac Officio.

Trigesimâ Novembris, anno 1552. ultimum sacrum legit, quod erat pro defunctis.

Secundâ Decembris, anno 1552. sanctè moritur in Insula Sanciano. Vel vigesimâ primâ Decembris celebratur festum S. Thomæ Apostoli, qui creditur prædixisse adventum S. Xaverii in Indias.

Alter modus est, ut hæc commemoratio menstrua S. Xaverii fiat primâ feriâ sextâ cujuslibet mensis.

Tertius modus, ut fiat Dominicâ illâ, qua obtineri in Ecclesia Societatis Jesu potest Indulgentia plenaria propter Communionem generalem. Vel demum aliâ die fixâ, vel mobili, prout cuique est opportunum.

Quicumque ex his modis placeat, ut habeatur pro quolibet mense propria commemoratio alicujus rei ab ipso Sancto, vel relatè ad illum gestæ illo mense,  
 reci-

recitari possunt sequentes precatiunculae, suo quaelibet mense, seu die; quo cuique placet, menstruam commemorationem S. Xaverii instituere. Legi etiam, perpendique possunt documenta vitae benè instituendæ, ex vita, & Epistolis S. Francisci Xaverii desumpta, & in menses singulos distributa.

*Orationes duodecim pro Menstrua  
coñmemoratione S. Xaverii.*

PRO JANUARIO.

**D**EUS, qui S. Franciscum Xaverium ingentibus in vita, & post mortem miraculis, in Ecclesia tua militante conspicuum fecisti: ex quibus est prodigiosa sanitas per eum (tertia Januarii anno 1634.) Marcello Mastrillo restituta: restitue & mihi per ejusdem sancti merita, & intercessionem, ac conserva sanitatem animæ, & corporis: da insuper gratiam, ut eadem sanitate, ac viribus corporis, quamdiu eas mihi dederis, utar ad majorem tuam gloriam, & majus tuum obsequium: si verò iis me privare volueris, da ut resignato in divinam voluntatem tuam animo vivam, & moriar, ubi, & quando, & quomodo tibi placet, dummodo in gratia tua, Amen.

DOCUMENTUM.

**V**oluntati Dei ut nostra conformetur, frequentissimum est in ejus Epistolis documentum : Lib. I. Epist. I. *Sedulam Deo, ut par est, navantes operam, ad ejus nutum, & voluntatem totos nos usquequaque conformemus. Rogandum aiebat, Deum, ut doceat nos facere voluntatem suam sic prorsus, ut quaecunq; requirit à nobis, haud secus, quàm ipse velit, exequamur.*

PRO FEBRUARIO.

**D**EUS, qui S. Franciscum Xaverium elegisti, ut primus Nomen unigeniti filii tui D. N. Jesu Christi Japoniæ, & aliis regnis inferret: quique hunc agrum novellæ Ecclesiæ (5. Februarii anno 1597.) trium è Societate Jesu, & aliorum plurium Beatorum Martyrum sanguine irrigasti: respice in faciem ejusdem Christi tui, ac per merita S. Francisci Xaverii, & eorundem beatorum Martyrum, Ecclesiam illam Japoniæ afflictam consolare, erige, & conforta; me verò in sancta fide Catholica confirma, & roboram; ut nulla tentatione ab eadem dimovear, vel in ea vacillem: alios etiam pro vocatione mea, & occasione, vel errantes reducere, vel ne errent, confirmare me doce, Amen.

DOCU-



DOCUMENTUM.

**C**ontra tentationes muniendum propositis animum docebat. Ideò sui ordinis Religiosis suadebat, ut quotidie sub meditatione vota renovarent contra dæmonis insidias. *Turs. lib. 6. c. 18.* Ad fortiter verò, & constanter contra eas pugnandum, hoc præsertim motivum adhibebat, quòd ex ipsa pugna liquidissima voluptas animi emergat. In quem sensum scribit lib. 3. Epist. 5. *Bone DEUS! non intelligunt homines, quantà, quàm liquidà voluptate careant idcirco, quòd minùs fortiter dæmonis conatibus obsistant.*

PRO MARTIO.

**D**EUS, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris: concede propitius, ut, qui S. Francisci Xaverii, quem (12. Martii, anno 1622.) solenni ritu Catalogo Sanctorum adscribi voluisti, gloriosa merita colimus, & te in illo ad hæc usque tempora mirabilem agnoscimus, & prædicamus: ejus quoq; patrocinia in omnibus necessitatibus, præsertim verò in hora mortis sentiamus: hanc verò, ut tantò feliciorẽ sperare possimus, da gratiam tuam, ut & nos dispositionem divinam agnoscamus, & promptè ac fideliter.

deliter exequamur, ad exemplum ejusdem S. Francisci, qui vix intimatam sibi ( die 16. Martii, anno 1540. ) missionem, & profectionem Indicam, statim postridie Româ discedens, est aggressus. Doce ergo Domine & nos scire, & facere, quod tibi placet, Amen.

DOCUMENTUM.

**A**D obedientiam ita exhortabatur: Lib. 2. Epist. 1. *Credas mihi, tibi que persuadeas velim, nihil esse tutius, atque ab omni errore remotius, quàm semper optare sibi ab aliis imperari, & imperantibus ex animo obtemperare: contrâq; lubricum, ac periculosum esse negotium, ad suum arbitrium vivere, omisso eorum, qui præsumunt, imperiò; nam ut ab eo, quod præscribitur, deflectens rectè aliquid facias, tamen sic habeto, in eo plus pravi esse, quàm recti.*

PRO APRILI.

**D**EUS, qui mirabili tuâ providentiâ ministeria, & functiones hominum dispensas, & ab utero matris, tanquam providus pater nos filios tuos ad cœlestem patriam vocas, ac dirigis, & dummodo sequi velimus, per varias vias, status ac officia misericorditer deducis: laudo & glorifico te, quod fidelem servum, & filium tuum Franciscum Xa-

verium à die nativitatis suæ ( quæ fuit  
 7. Aprilis, anno 1503.) ad munus Apo-  
 stolicum destinaveris, & ( pariter 7. A-  
 prilis, anno 1541.) ad hoc munus exe-  
 quendum Olissipone in Indiam solven-  
 tem, tuâ paternâ gratiâ comitatus fue-  
 ris: En me filium tuum, quem pariter  
 ab utero matris susceptum, ad hoc usq;  
 æmpus, & ad hanc functionem, in qua  
 modò sum, pervenire voluisti: dirige  
 me tuâ gratiâ, ut eam vocationem, cui  
 gratiarum efficacium seriem alligâsti,  
 agnoscam, & ut fidelis filius exequar,  
 Amen.

DOCUMENTUM.

**A**D teporem excutiendum hanc sug-  
 gerebat cogitationem Lib. 3. Ep. 5.  
*Cogites, complures esse homines facinorosos,  
 qui, si abstersa superioris vitæ quasi fuligi-  
 ne, in eadem, in qua tu es schola virtutis,  
 divinitus collocarentur, non modò vitæ ra-  
 tionem commutarent, sed etiam te sedulita-  
 te ac virtute, non sine tuo pudore, præcur-  
 rerent.*

PRO MAJO.

**D**EUS, qui nos ad imaginem & simi-  
 litudinem tuam creatos, ut tibi in  
 hac vita serviamus, & falvi tandem fia-  
 mus, per viam quidem regiam manda-  
 torum tuorum, sed per diversas quasi  
 semi-

femitas statuum & officiorum ad hunc finem deducis : interdum autem variis adversis , tanquam navem in mari , jactari permittis : laudo , & glorifico te , quòd ad hunc finem beatum Franciscum Xaverium per semitam Apostolicarum operationum deducere , & mirabiliter tum in prima Indica navigatione ( quam sexta Maii , anno 1541. complevit ) tum deinceps inter gravissima , & plurima pericula volueris conservare. Per ejusdem merita te rogo , ut & me inter tot animæ , & corporis pericula custodire , protegere , præsertim ab animæ hostibus digneris , ut feliciter cum eodem sancto Patrono meo ad portum beatæ vitæ pertingam , Amen.

DOCUMENTUM.

**O**Rationem , ut colebat ipse , & piaculi locò ducebat , inter tantas occupationes minimum de solitis pietatis exercitiis detrahere , ita etiam aliis magnopere commendabat ; imò & iis addendum suadebat. *Tursel. lib. 6. cap. 26.* Semper , & ubique cum Deo agere visus , ad agendum cum Deo alios invitabat. Jaculatorias , quas vocamus , preces & fundebat identidem , & teneram etiam ætatem docebat. *Rela. canoniz. Orland. Hist. lib. 2. n. 22.* In Mariam Matrem

Dei tenero ferebatur affectu, hujus intercessioni omnia committebat: *Quo facilius impetrarem*, inquit, *sanctissimam Dei Parentem adhibui Patronam, quæ cæli Regina, nullo negotio, quidquid orat filium, exorat.* Lib. 2. Epist. 6. Hanc vivens, hanc moriens compellabat sæpius: *Monstra te esse matrem. Mater DEI memento mei.* Vulnera Christi frequentissimè pro conversione infidelium, & peccatorum adorabat. *Tursel. lib. 5. cap. 2.* Animas in purgatoriis flammis agentes quotidie sub vesperum precibus juvandas monebat. *Lib. 4. Epist. 19.* Universa vita Xaverii fervens, & continua fuit oratio: diem in auxilio proximi tanquam Apostolus; noctem ut Anachoreta inter preces exigebat.

PRO JUNIO.

**D**EUS, qui Beatum Franciscum Xaverium à vanitatibus sæculi per suas adhortationes beati Ignatii ad humilem tui sequelam avocasti; & toto conatu ad illud unicè desiderandum, quod esset pro majore tua gloria, & animarum salute, impulisti: atque ad hunc finem eum ad sacerdotale munus aspirare, & (24. Junii, anno 1537.) pervenire voluisti: da gratiam omnibus, qui ad sublimem hunc Sacerdotis gradum per-

pertingunt , ut vitam vocatione sua dignam ducant: præsertim venerabili Clero sæculari, inter quos & ipse Xaverius, ac Ignatius cum reliquis sociis usque ad Canonicam Societatis confirmationem censerì poterat, largire gratiam, ut eximiam occasionem promovendi salutem animarum , quam illis potissimum præbet officium curæ , adhibeant pro gloria Dei ; omnesque tum hi, tum alii Sacerdotes dignos se Altaris, & aliorum Sacramentorum ministros præbeant, ac omnem populũ ad te Dominum Deum suum convertant , Amen.

DOCUMENTUM.

**D**etrimentum animæ unde quaque præcavendum monebat : idcò, quod à S. Ignatio Parisiis didicerat, passim omnibus instillabat, ut quotidie per quartam horæ partem illam Christi sententiam expendere: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ita scribit lib. 3. Epist. 5. *Mementote semper illam cælestis Magistri vocem: quid prodest homini, &c* & Regi Lusitanix lib. 2. Epist. 5. saluberrimum idem consilium suggerit: *ut quotidie per quadrantem horæ divinam hanc sententiam meditando, germanam ejus intelligentiam à DEO petat,*

*cum sensu animi interiore conjunctam, & simul omnium suarum intentionum illam velit esse clausulã: quid prodest homini, &c.*

PRO JULIO.

**D**EUS, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam novo per Beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: & inter primos quidem socios, atque in hoc opere cooperatores B. Franciscum Xaverium eidem adjunxisti, huic verò tantam erga Ignatium observantiam, ac humilitatem contulisti, ut non solum ad ejus nutus se promptissimum ostenderit, sed etiam præ reverentia flexis genibus ei litteras scripserit: doce me per utriusq; hujus sancti merita, ut & ego illos, quos mihi in spiritu, vel quacunque alia functione dedisti Directores, & Superiores, tanquam divinæ voluntatis tuæ interpretes in omnibus, in quibus peccatum non cernitur, respiciam: doce me, uti mundi militibus, ita tuis in Ecclesia militante alumnis, summe necessariam Christianam obedientiam, ut ab hostibus, præsertim animæ, per eos, qui animam meam dirigunt, defensus, nec non eorundem beatorum Ignatii, & Xaverii auxilio, & imitatione certans in terris, coronari cum illis merear in cœlis (quod

31. Julii, anno 1556. S. Ignatius est evocatus. ) Amen.

DOCUMENTUM.

**H**umilitatem ita commendabat lib. 3. Epist. 5. *Diligenter colite humilitatem; summoque studio elaborate, ut divina ope vos penitus cognoscatis. Nam sui cognitio nutritrix est divinae fiduciae, ac parens Christianae humilitatis: quippe ex nostri diffidentia, Dei fiducia nascitur, quae vera est, atque germana fiducia.* Et ibidem acrius ad hanc virtutem incitat, dum ait: *Multi nunc apud inferos cruciantur, qui, quod falsâ, fallacique sui opinione inflati, germana animi submissione vacarent, ad sempiternas illas poenas sunt devoluti. Nemo autem omnino apud inferos est eorum, qui, cum hujus vitae arumnis affligerentur, id egerunt, ut interiore illa humilitate animum munirent suum.*

PRO AUGUSTO.

**D**EUS, qui in ipso festo Beatissimae Virginis Mariae in caelos assumptae (anno 1534.) Parisiis in monte Martyrum per vota Devotionalia à BB. Ignatio & Xaverio atq; eorum sociis edita, prima futuri Religiosi coetus, Societatis Jesu fundamenta poni, & hunc diem, quasi natalem ejusdem societatis esse voluisti: da mihi per intercessionem



ejusdem magnæ Matris, nec non SS. Ignatii & Xaverii, ut juxta vocationem meam divina tua præcepta observem, & alias pariter obligationes, quas ex officio, statu, voto, superiorum jussu habeo, fideliter impleam, nec ullis tentationibus me à via recta abduci sinam: quin ea etiam, quæ per pias inspirationes mihi suggeris, aut per alias vias mihi declaras, quòd tibi placita sint, etsi gravem obligationem non imposueris, da, ut amore tui exequar, ac in modico etiam fidelis impleam, quod voluntas tua bona, beneplacens, & perfectà à me desiderat, Amen.

DOCUMENTUM.

**A**ttendendum sibi, crebra erat ejus monitio, nec torpendum ad ea, quæ Deo, quæ animæ, & conscientiæ debentur; ita enim faciliùs, ac promptiùs Deo servitum iri. Idcirco mentem quotidie, manè minimùm, & vespere colligendam, & quidpiam de vita Christi considerandum. Reputandum sæpè cum animo, quàm quisque parvos in virtute progressus fecerit, quantumque temporis contriverit: nam qui hujusmodi cogitationes suscipiunt, hos profectò, aiebat, pudet, ac stimulis excitati, ad detrimenta sarcienda animos,

ac

ac vires recipiunt. *Joannes Lucena in  
ejus vita.*

PRO SEPTEMBRI.

**D**EUS, qui novos semper Operarios  
in vineam tuam mittis; & inter  
hos in illo Religioso cœtu, quem *Socie-  
tatem JESU* vocari, & (28. Septembris,  
anno 1540.) à sede Pontificia confirma-  
ri fecisti, etiam B. Xaverium, & quidem  
unum ex his, qui in litteris Apostolicis  
nominatim, ut hujus instituti primi  
Professores exprimuntur, esse voluisti:  
piissimæ Majestati tuæ gratias ago, quod  
per hos, & alios Evangelicos operarios,  
Ecclesiæ tuæ, tanquam vineæ electæ  
providere volueris, & quia etiam me,  
tanquam palmitem, in eam per Sacra-  
mentum baptismi transtulisti, ac mul-  
tiplici gratia tua irrigatum in ea hucús-  
que conservasti; rogo te per intercessio-  
nem ejusdem fidelis operarii tui Fran-  
cisci Xaverii, ut me in tua sancta gratia  
conserve, ut per illam maneam pal-  
mes in Christo, qui est vitis vera; nec  
unquam per peccatum ab hac vite se-  
parer: quin ipse etiam pro vocatione  
mea, & occasione sim operarius in hac  
Ecclesiæ vinea, ut denarium æternæ  
gloriæ percipere merear, Amen.

DOCUMENTUM.

**D**ilectionem proximi suadebat exemplô dilectionis Christi in homines. Ad hanc spectare aiebat, ut sensim feratur, ac sine molestia, si quid in proximi moribus apparet intolerabile *Lucen: in vita.* conversationem circumspectâ esse volebat: *Moneo vos, inquit, ita cum amicis intimis agere, quasi ipsi futuri sint olim inimici vestri. Multum enim proderit hæc animadversio. Lucen: in vita.* Inimicos oratione, & beneficio vincendos ita monebat: *Illud præclarum est ulciscendorum inimicorum genus, ut eis & cœleste Numen placare, & benignè facere studeamus. lib. 4. Epist. 12.* Leni cum improbis agendum animo ita suadebat: *Talem eis te præbeas, qualem bonus Pater improbis filiis, ut nunquam eis consulere desinas, quamvis cernas multis eos vitiis coopertos. Siquidem Deus ipse, etsi ab illis, & à nobis sæpè lesus, non desistit tamen suis omnnes beneficiis cumulare: cumq; perdere nos suo jure posset, tamen pro sua clementia in nostris delictis sæpius connivet, in difficultatibus subvenit, ut vincat in bono malum.*

PRO OCTOBRI.

**D**EUS, qui per ipsa etiam Sanctorum Nomina fideles tuos ad eorundem imitationem incitas, quemadmodum  
fidei

fideli servo tuo Francisco Xaverio ad perfectionem stimulo fuit, exemplum magni, & Seraphici Proto-Francisci (cujus memoria celebratur 4. Octobr.) ad cujus exemplum generosè mundi vanitates despexit, & vexillum crucis secutus, meruit & ipse (25. Octobris anno 1619.) Beatorum ritu publicè coli: concede etiam mihi, ut, si non nomine, certè imitatione virtutum, prout vocationi, ac statui meo convenit, utrumque hunc S. Franciscum, & cum illis principaliter ipsum Christum Dominum, ut bonus Christianus sequar, ac ita vivam, ut cum his & omnibus Sanctis, nomen meum in cœlis scriptum aliquando inveniam, Amen.

DOCUMENTUM.

**U**t sanctum nostri ipsorum odium, ac mortificationem persuaderet, ita scripsit lib. 2. Ep. 1. Sint ex iis, qui à mundo, carne, diabolo injuriosè tractati, suas pariter, & Dei injurias ulcisci in semet-ipsis expetant. Hoc studio Christiani nomen sustinendum censebat lib. 2. Ep. 12. *Christianum est in cruce magis, quàm in quiete letari.* Quandam in ea beatitudinis partem reperiebat lib. 1. Epist. 1. *Crucis amatores vitam ærumnis exercitant*

*beatam ducunt : crucis autem fugam mortis instar putant.*

PRO NOVEMBRI.

**D**EUS, qui B. Franciscum Xaverium nova regna, ad agnitionem tui nominis perducenda, quærentem, per lethalem morbum impediri, & cursum ejus sistere voluisti, ita ut ultimo Missæ sacrificio ( 20. Novembris, anno 1552. ) celebrato, deinceps semper invalescente morbo vicinior morti accesserit : concede propitius, ut, si quando infirmitate me gravari velis, eam ad exemplum, & imitationem S. Xaverii gratanter de manu tua accipiam : neque solùm eam patienter feram, sed etiam per eam intelligam me moneri, ut in tempore disponam domui meæ, & me præparem ad iter æternitatis. Quia verò, ô Deus! tempore infirmitatis à nobis vis adhiberi media contra eandem, inter quæ etiam sunt subsidia spiritualia, rogo te, ut, si ita videris esse pro salute animæ meæ, velis Patronum, & Medicum meum esse hunc ipsum S. Xaverium. Veruntamen non mea, sed tua, ô Deus! voluntas fiat, Amen.

DOCUMENTUM.

**P***atientiæ* exercendæ, uti materia est frequens, ita sit promptus animus.

Sti-

Stimulum à D. Xaverio accipe : *Ærum-  
na, omnia incommoda, si Dei causâ, ut par-  
est, subeantur, profectò magna solatia sunt,  
& materia multarum cœlestium volupta-  
tum. lib. 1. Epist. 1. Quid si aliquando cœ-  
lestis Numinis permissu exagiteris, atq; ve-  
xeris, tum tibi persuade, aut virtutem tuam  
exerceri, aut vitia, & delicta expiari, ita-  
que vel meriti occasionem fieri, vel humili-  
tatis. lib. 3. Epist. 4.*


PRO DECEMBRI.

**D**EUS, qui Indiarum gentes beati  
Francisci Xaverii prædicatione, &  
miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare, eum-  
que post plurium annorum labores vir-  
tutibus, & meritis plenum in Insula San-  
ciano (die 2. Decembris, anno 1552.) ad  
gloriam cœlestem transire; in Ecclesia  
verò militante, annuam ejus festivita-  
tem 3. Decembris celebrari voluisti:  
concede propitius, ut, cujus gloriosa  
merita veneror, ejus etiam viventis, &  
morientis exempla imiter. Præcipue  
verò, cum articulus mortis sit pun-  
ctum, à quo pendet felix, vel infelix æ-  
ternitas, in hoc puncto me non desere,  
ô Deus! sed misericorditer gratiam fi-  
nalem largire. Hoc ut impetrem, sancte  
Francisce Xaveri! per annuam hanc,  
seu 12. dierum per totidem menses di-  
tribu

tributorum devotionem te rogo, ut apud divinam Majestatem, Patronum meum agere digneris, pro tuo zelo, quo etiamnum ardes, magis magisque promovere Dei gloriam, & animarum salutem. En meam! eam per intercessionem tuam lucrare, ut per gratiam Dei à peccatis libera, proficiat in virtutibus, & tandem ad vitam æternam perveniat, Amen.

DOCUMENTUM.

**M**ortis, ut optimæ rerum agenda-  
rum consultricis memoriã summis, & imis habendam docebat. Hanc liberè ingerebat Joanni III. Regi Lusitanix. lib. 5. Epist. 6. *Postula à Deo Domino nostro, ut in hac vita det tibi gratiam sentiendi, & agendi id, quod in momento tuæ mortis gauderes te fecisse.* Et lib. 5. Epist. 12. ad eundem: *Decretorium eternitatis momentum citius aderit, quàm Majestas tua putet, quare danda maturè opera, ut benè ad illud paratus occurras. Regna, & Principatus transeunt. His nova succedet, & inopinatissima rerum facies, planè qualis ne cogitatione quidem, aut suspitione primà Majestati tuæ unquam in mentem venerit.*



PARS III.

Cultus Hebdomadarius

S. FRANCISCI XAVERII.

**F**eriâ sextâ cujuslibet hebdomadæ conducet invisere templum, aut sacellum, vel saltem altare S. Xaverio dedicatum, recitando eo in loco decies Pater & Ave, & decies Gloria Patri, &c. in memoriam annorum decem, quos pro salute proximi in Indiis S. Xaverius impendit; Conveniet etiam orare pro omnibus S. hujus Patroni honorem fideliter, ac sollicitè procurantibus.

Feriâ pariter sextâ, si opportunum fuerit, recitari poterit Officium de Sancto, & Litaniam infra ponendam.

His adjungi poterit brevis consideratio, aut saltem lectio documenti, quod vel ex literis à Sancto conscriptis, vel ex vita ejusdem à P. Joanne Lucena composita, vel ex iis, quæ P. Daniel Bartolus lib. 4. primæ partis Asiæ conscripsit, est excerptum, atque in singulas ferias sextas per annum distributum.

*Pro I<sup>ma</sup> die Veneris in Januario.*

**S**æpe orandus est DEUS ferventissimè, ut ea impedimenta nobis detegat,



gat, quæ nos ipsi imprudenter objicimus, ne dona cœlestia consequamur: quod magnæ curæ nobis, ac sollicitudini esse deberet.

Huic considerationi, aut spirituali lectioni subjunge aspirationes S. Xaverio familiares:

*JESU Christe! Fili DEI vivi! da hoc nobis, ut te super omnia diligamus.*

*Da nobis Domine, sanctissimæ voluntatis tuæ perfectè semper agnoscendæ, & adimplendæ gratiam.*

*Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.*

*Quis mihi det, ut moriar pro te, & cognoscant te omnes fines terræ.*

*Amplius! Domine cruciari, amplius!*

*DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum!*

*Satis est, Domine! te si habeam, satis est.*

### *Ad Virginem Deiparam.*

**D**omina opitulare! Sanctissima Deiparans, cœli Regina, quæ, quidquid oras filium, semper exoras; adesto Advocata nostra!

### *Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Januario.*

**V**incere seipsum, primum existimabat, maximèque necessarium ad omnem sanctimoniam documentum.

Unde

Unde non solum focios suos admonebat, *ut semet parvis in rebus vincere assuescerent, ita demum majorum certaminum fore victores*, sed alios quoque, quorum curam spirituales suscipiebat, hortabatur assidue, ad crebram sui victoriam, circa iram, & sensuum delectationem.

*JESU Christe, Fili Dei vivi! &c.*

*Pro 3<sup>ta</sup> die Veneris in Januario.*

**C**onscientiæ puritatem magnopere curandam semper suasit, tanquam in ea perfectæ vitæ cardo verteretur: ideò nunquã decumbendum lecto, nisi prius bene excussâ conscientiam, petitâ à Deo erratorum venia, & firmato melioris vitæ propositò; manè verò primam suscipiendam esse cogitationem de modo corrigendi, pridiano examine deprehensa peccata, & vitandi ea, quorum posset se occasio exhibere.

*JESU Christe! Fili Dei vivi! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Januario.*

**D**idicerat à S. Ignatio, aliòsq; docebat, *Mortem esse optimam in agendis consultricem*. Unde in quadam ad Joannem III. Lusitaniæ Regem ita scribit: *Illud assidue à Deo postula, ut tibi taliter concedat operari in vita, qualiter cupies te egisse in morte*. Aliàs eidem Regi scribens

bens ait : *Largiatur Divina Bonitas Vestra Majestati, ut ex omni cogitatione, verbo, & affectu vitæ, gaudere possit in morte.*

*JESU Christe ! Fili Dei vivi ! &c.*

*Pro 5<sup>ta</sup> die Veneris in Januario.*

**N**emo seipsum decipiat : Magnus esse nequit, qui in parvis magnus esse negligit. Sic enim in quadam Epistola docet : *In parvis magnum esse laudabile est. Minimorum rerum curam maximam habendam esse his demonstrabat : Qui spernunt modica, paulatim cadere, parvosq; esse necesse est, unde meritò ob hoc sunt contemnendi.* *JESU Christe ! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Februario.*

**N**ulla dies prætereat, quâ de Deo piiquidpiam non mediteris, aut te per examen conscientiaæ voces in judicium ; in dies, in quo defeceris, annotando, siue id sit circa munus, quod tibi impositum est, vel verò circa ea omnia, quæ à te Deus fieri exigit. *JESU Christe ! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Februario.*

**N**e piger sis modò, & incurius in iis emendandis, quæ in hora mortis voles emendasse : quoniam morbus, imminenti mortis vicinitas, dolores, qui tunc vel maximè sunt acerbissimi, adedò  
vires

vires animæ diminuunt, ut aliud nihil præstare sinant, quàm horridum illud spectaculum adedò tremendum, ac formidabile intueri. Hæc nemo novit, nisi expertus. *JESU Christe! &c.*

*Pro 3<sup>ta</sup> die Veneris in Februario.*

**P**rofecturus aliò Xaverius intimis suis hoc supremum relinquebat documentum: *Vince te ipsum.* Agebat enim lib. 3. ep. 4. *Se ab optimo Parente nostro Ignatio sæpius audivisse, spem & fiduciam Divinam plerumq; dari iis, qui se ipsos omni ratione superare conantur.* Beatum esse, inquit, vivere quotidie moriendo, nostrasque frangendo voluntates.

*JESU Christe! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Februario.*

**H**umiliter Deus exorandus est, ut ostendere misericorditer dignetur ea, quibus nos Divinæ gratiæ motus impedimus; quocirca id in nobis non exequitur, quod aliàs cum nostra libera cooperatione præstaret. *JESU Christe! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Martio.*

**Q**uæ DEO placere agnoscis, promptus exequere, ut morienti solatium adferant, quæ gessisti in vita: quoniam de cunctis ante tribunal Dei ratio reddetur. *JESU Christe! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Martio.*

**J**udicabat sæpius pias commentationes de piacularibus flammis debere institui, tum ad excitandos in nobis commiserationis affectus, tum ad cruciatus purgantium animarum leniendos. Et ut talis meditatio applicaretur primò nobis ipsis ad salutem : secundò ad discendam patientiam : unde dicere solebat, id quemvis agere convenit, ut suam ex inferno priùs animam liberet, antequam de purgatorio sit sollicitus.

*JESU Christe ! &c.*

*Pro 3<sup>tia</sup> die Veneris in Martio.*

**C**um omnibus tam probis, quàm improbis suaviter, amicèque agendum. Talem te iis, ut scribens loquitur, exhibe, qualem Pater filiis ; nunquam iis benefacere omiseris, tametsi plenos vitiis deprehendas, Deum in hoc imitando, qui, cum ab illis, tum à nobis sæpius offendatur, manum tamen suam beneficam non retrahit, quòsque justissimè posset plectere, sæpe patienter tolerat, bonisque mala superans, eorum confundit iniquitatem. *Jesu Christe ! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Martio.*

**S**perne, inquit in quadam Epistola, neque cura eos, qui temerè loqui, &  
 pro-

proborum opera, virtutésq; subinde ob-  
 scurare consueverunt. Si qui de te mur-  
 muraverint, noli tristari, quia si propter  
 dicta hominum Dei obsequium negle-  
 xeris, parvi fies. Quisquis enim simi-  
 libus territus, magis mundi, quàm Dei  
 servus esse agnoscitur; quoniam plus  
 cum movent venti humanorum respe-  
 ctuum, quàm gloriæ Divinæ.

*JESU Christe! &c.*

*Pro 5<sup>ta</sup> die Veneris in Martio.*

**I**Ta cum amicis agendum, ut eos ali-  
 quando inimicos fore putes: quod si  
 ad amissim observaveris, cautus eris in  
 omnibus, tuíq; ipsius superior; nec un-  
 quam vanâ fretus securitate eò progre-  
 dieris, ut, quod reprehendendum est,  
 committas, juxta illud Senecæ: *Ita ami-  
 cum habes, ut inimicum aliquando esse pu-  
 tes.* *JESU Christe! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Aprili.*

**T**Erribile illud mortis instans opi-  
 nione citiùs adveniet; maturè igitur  
 ad id præparanda sunt corda: Tran-  
 sibunt regna, evanescent imperia, pro-  
 speris succedent adversa, nova quidem,  
 sed adedò improvisa, & ab his differentia,  
 ut mente assequi non valeas mirandam  
 rerum omnium metamorphosim.

*JESU Christe! &c.*

*Pro*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Aprili.*

**M**atrona nobilis pœnitens S. Francisci Xaverii, accusaverat se quâdam vice, quòd temerè ac periculose alterius sexûs personam fuisset intuita: cui Sanctus vultu ad severitatem composito respondit, eam in pœnam hujus defectûs non esse dignam, quæ à Deo respiciatur: Quibus verbis aded se motam, ac territam fuisse asseveravit, ut nunquam, quoad vixit, in faciem viri fuerit ausa intueri. *JESU Christe! &c.*

*Pro 3<sup>tia</sup> die Veneris in Aprili.*

**U**T quotidie sui in aliquo victor existeret, quasi pro tessera illud identidem in ore habuit, dicens: *Pulchrum, ac gloriosum est quotidie moriendo, & voluntatem propriam abnegando seipsum superare. JESU Christe! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Aprili.*

**M**iseriæ, calamitates, ac incommoda, si, ut par est, amore Dei tolerantur, in dulcedinem miram ac suavitatem convertuntur. *JESU Christe! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Majo.*

**Q**uid Dei timor profit, hac ratione docebat: Timor DEI omnium creaturarum timorem extinguit, quia  
cer.

certum est, nobis nihil nocere posse, nisi quid, & quantum Deus evenire permittit. *JESU Christe ! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Majo.*

**R**es pro Christo toleratæ thesauri sunt cœlestium solatiorum. Si te subinde dæmon, aut ita permittente Deo, homines inquietant, certus sis, te aut probari, aut vitia tua igne tribulationis purgari, ex quo magnum meritum, humilitatisq; fit incrementum.

*JESU Christe ! &c.*

*Pro 3<sup>ia</sup> die Veneris in Majo.*

**A**rtem vincendi tentationes docebat dicens, in ea victoria summam esse voluptatem. **DEUM** bonum ! exclamabat, quòd homines non intelligant, quanto, & quàm sincero gustu se ipsos defraudent, dum insultanti dæmoni generosè non resistunt.

*JESU Christe ! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Majo.*

**O**bscuro vos, ait in quadam Epistola, per Christi amorem, ut hostem vestrum in vilibus, ac abjectis officiis confundere studeatis ; omnia exactissimè exequendo, ut victores tentationū, quæ in occupationibus vestris occurrunt, continuò existatis. *JESU Christe ! &c.*

*Pro*



*Pro 5<sup>ta</sup> die Veneris in Majo.*

**O**ptabat omnes illud diligentissimè perpendere, quàm parum profecerint; quantam jacturam temporis sint passi, non solùm otiosè dies transigendo, verùm etiam à perfectione recedendo, cùm in illa non progredi regredi sit. Nam qui talia sæpe cogitant, non possunt non erubescere, séque ipsos ad resarcienda tepidioris vitæ damna extimulare. *JESU Christe! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Junio.*

**S**æpius hortabatur ad discendum ea, & deinde ferventer exercendum, quæ Divinis placent oculis: Scribens enim Joanni III. Lusitaniæ Regi, spondet, se à Deo pro Rege lumen cœlestè petiturum, quo ille cuncta, quæ Deo placuerint, valeat perfectissimè exequi. *JESU Christe! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Junio.*

**C**avendum est, ne humanis innixi auxiliis in fiduciæ Divinæ exercitio frigescamus. Deus neminem vult damnari, sed quandóque cum periculo erudiri, ut experientiâ cognoscamus, quàm modicum possimus, quotiescúnque nobis, aut aliis nimium confidimus. *JESU Christe! &c.*

*Pro*

*Pro 3<sup>ia</sup> die Veneris in Junio.*

**I**N rebus, ad quas Deus internè monet, pro sua Divina gloria, majus ac certius periculum est, de auxiliis ad ipsa pericula amolienda dubitare, quàm id, quod ab ipsis infernalibus hostibus solet mortalibus prætendi, quoniam illi ne pilum quidem capitis nostri vellere possunt, nisi Deus id permittat.

*JESU Christe! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Junio.*

**N**on obliviscaris continui in virtutibus progressus: scis enim, in via Dei non progredi, esse regredi.

*JESU Christe! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Julio.*

**M**aximum, certissimùmq;, aiebat, medium est hostem debellandi, habere nimirum eam cordis latitudinem, ut quis ex toto sibi ipsi diffidat, & spem ac fiduciam omnem in Dei auxilio collocet, adeò ut in tanti Protectoris auxiliis confidens, nunquam metum, sed spem omnem victoriæ habere videatur. *JESU Christe! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Julio.*

**I**N nobis est, quòd Deus se animabus nostris mediante sua Divina gratia, & donis internis non communicet.

*JESU Christe ! Fili Dei vivi ! &c.*

*Pro 3<sup>ta</sup> die Veneris in Julio.*

**S**is absolutè securus tibi nihil unquã detrimento futurum , si hac fiducia armatum animum gesseris. Postquam enim hanc veritatem menti tuæ imprefferis, scilicet omnia speciali Dei providentia, permissionéq; gubernari, omnia sapientissimè, ac justissimè à summo illo rerum moderatore regi , nihil esse, quod metuas , nisi Deum ex fragilitate tua offendere. *Cave, ajebat, ne unquam tibi ipsi nimium fideas. JESU Christe ! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Julio.*

**H**umilitatis exercitia impensè commendat ; aliquando in hæc verba scripsit : *Ut dona cœlestia indies in te au-geantur, debes magis in virtute sanctæ humilitatis indies radicari. JESU Christe ! &c.*

*Pro 5<sup>ta</sup> die Veneris in Julio.*

**V**eri amici, sincerique monitores quærendi sunt , à quibus libere de defectibus arguamur, ut ex aliis clariùs nobis imperfectiones propriæ innotescant. Etenim quivis errata aliena faciliùs , quàm propria dignoscit.

*JESU Christe ! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Augusto.*

**F**ugam humanarum laudum suadens ita loquitur: *Odio habe magno-  
pere superbiam, & simul magno fervore te  
ad virtutem humilitatis accende, laudes hu-  
manas, veluti cruces fugiendo. JESU  
Christe! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Augusto.*

**V**ellem, perpenderes potiùs, quanta  
bona Deus ob culpas tuas tibi præ-  
stare omiserit, quàm ea, quæ ob tua me-  
rita contulit. *JESU Christe! &c.*

*Pro 3<sup>tia</sup> die Veneris in Augusto.*

**D**esidero, ait scribens Sociis, *semper in  
cordibus vestris veritatem hanc ver-  
sari, esse nimirum præstantissimum ex om-  
nibus, quæ fieri possunt, sacrificium, humi-  
liter Deo, superiorumq; mandatis obtempe-  
rare. JESU Christe! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Augusto.*

**A**ge, ait in quadam sua Epistola, &  
*cum Divinæ gratiæ subsidio te ipsum  
perfectè cognosce: quoniam cognitio sui fidu-  
ciæ in Deum mater est, & custos humilita-  
tis. JESU Christe! &c.*

*Pro 5<sup>ta</sup> die Veneris in Augusto.*

**O**bedientia regula est zeli anima-  
rum: graviter proinde errant, qui

sub pietatis specie, lucrandarúmque animarum titulo, se à dulci obedientiæ onere subducunt, graviores cruces alibi experturi. *JESU Christe! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Septembri.*

**O**bscuro te, obtestorque, ait scribens, inimicum generosè vincere contendas, vilia ac abjecta exercitia obeundo. Humilitas enim, & prudentia sunt duæ Matres multarum, ac magnarum virtutum. *JESU Christe! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Septembri.*

**O**perarii Evangelici in Deo confidere, sibiq; persuadere debent, Deum nullo modo defuturum, quin eos ibi per superiores suos collocet, ubi maximè, & suæ Divinæ gloriæ convenit, eorúmque spiritualis profectus requirit, si ipsi imprimis & propriæ mortificationi studuerint, & continuò in via Dei progredi non neglexerint. Etenim verissimum est, eos nullibi Deo magis gratos esse posse, quàm ibi, ubi ad tempus eos obedientia collocaverit. *JESU Christe! &c.*

*Pro 3<sup>ria</sup> die Veneris in Septembri.*

**S**peram magnam habeo, ait Epist. 53. *nunquam mihi Divinum auxilium defuturum.* Etenim ex toto viribus meis  
diffi-

diffidens, omnem fiduciam in Deo, & in sanctissimo Matris Dei patrocinio, Sanctorum Angelorum, maximè verò D. Michaëlis Archangeli, Ecclesiæ militantis defensoris collocavi, **JESU Christe!** &c.

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Septembri.*

**S**I sermonem cum viris perfectioris statûs de gentilium correctione, & extrema innumerabilium populorum necessitate miscere contigisset, adeò exardescerebat, ut vultus ipse flammâs amoris, quas cor capere non poterat, testaretur. **JESU Christe!** &c.

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Octobri.*

**S**uo exemplo docebat modum Deiparam orandi: Ad impetrandum, ait ille, quod desidero, elegi advocatam Virginem sanctissimam, quæ tanquam cœli Regina, quidquid petit, impetrat. **JESU Christe!** &c.

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Octobri.*

**D**Evotio D. Francisci Xaverii erga Virginem Deiparam non solum in eo sistebat, ut illam eximiis laudibus extolleret, aut subsidia ab illa in necessitatibus imploraret, verùm in eo vel maximè, ut vitam Virginis sanctissimæ

in se, velut in speculo repræsentaret, imitando specialiter insignes virtutes, humilitatis, charitatis, zeli que animarum, quas cœli Regina in tota sua sanctissima vita, & maximè in cognatæ suæ Elisabeth visitatione expressit. *JESU Christe! &c.*

*Pro 3<sup>ta</sup> die Veneris in Octobri.*

**M**ulti cruciantur in inferno, quia, dum aliis viam salutis, & æternæ beatitudinis aperuerunt, ipsi superbiâ, sui que vanâ complacentiâ tumidi, ad æternas pœnas sunt condemnati. Contra ne unus quidem in inferno est, qui mundi calamitatibus exagitatus, scutum habuit veræ, ac solidæ humilitatis.

*JESU Christe! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Octobri.*

**M**elindæ Saracenum quendam ad fidei veritatē perducere cupiens, qui se à Machomete derelictum querebatur, &, si intra triennium iuvaretur, sectam deserturum promittebat; reposuit sanctus, esse proprium infidelium, aut magnorum peccatorum, ut vitam amaritudinibus plenâ, & sibi quodammodo ipsis displicentes agant. Et hoc quidem esse summum Dei beneficium, & gra-

& gratiam, tametsi ab illis non agnosca-  
tur. *JESU Christe ! &c.*

*Pro 5<sup>ta</sup> die Veneris in Octobri.*

**I**lius cum peccatoribus gravioribus  
conversatio dulcis erat, atq; affabi-  
lis, absq; austeritate, ob quam eum ac-  
cedere metuerent: imò sic se ipsam su-  
perare videbatur Xaverii charitas, ani-  
mique sincerissimi teneritudo, ut tan-  
quam mater piissima, magis ægrorum  
filiis miseris, quàm valentiũ vigo-  
re ad exhibenda viscera charitatis com-  
moveretur. *JESU Christe ! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Novembri.*

**Q**uotidie DEO animas piacularibus  
flammis obnoxias; peccati mor-  
talis peste infectas; & eas, quæ in ulti-  
mo vitæ certamine conflagunt, com-  
mendabis. *JESU Christe ! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Novembri.*

**C**ircumspectè, ac prudenter vivas  
cum hoc sæculo nequam, tuiq; im-  
primis maximam curam gere; sic enim  
& Divina tibi magis sapient, & ad per-  
fectam tui cognitionem facilius perve-  
nies. Illud autem certò tibi persuadeas,  
incuriam nostri, & amicos à nobis alie-  
nare, & qui amici non sunt, non levi-  
ter scandalizare. *JESU Christe ! &c.*



*Pro 3<sup>ta</sup> die Veneris in Novembri.*

**Q**uivis illud sibi, tanquã certissimum persuadeat, nulla esse sua opera, præter peccata: cæterùm Deus adedò vilibus instrumentis ad magna præstanda utitur, tum ut ex hoc magis infinita illius bonitas eluceat; tum ut nos nihil ex nobis facere posse cognoscentes, solidiùs humiliemur. *JESU Christe! &c.*

*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Novembri.*

**M**agnam, aiebat, auxilium est, & ad superandos hostes certissimum, si cor amplum, & generosum habeas, de te omnino diffidens, & spem, ac vires omnes in Divinæ gratiæ fiducia collocans: ut tam potenti fretus patrociniò, nulla signa metùs ostendas, spem tamen de certissima victoria concipias. *JESU Christe! &c.*

*Pro 1<sup>ma</sup> die Veneris in Decembri.*

**D**esideria nostra in rebus ad Dei gloriam spectantibus semper vires nostras volatu quodam purissimi amoris debent excedere. *Si non potes, quod optas, ait in quadam sua Epistola, opta saltem, quod non potes. JESU Christe! &c.*

*Pro 2<sup>da</sup> die Veneris in Decembri.*

**B**eneficiorum Divinorum rectum usum à Deo instanter peti volebat.

Sic

Sic enim ait : *Totum in eo consistit , ut nos acceptis gratis bene , aut malè utamur.*

*JESU Christe ! &c.*

*Pro 3<sup>ia</sup> die Veneris in Decembri.*

**C**haritatem erga omnes homines comendans, docebat suos socios, ut in vinculis charitatis hominum animos pertraherent ad Deum: nihil enim amore fortius, nihil ad humana corda permovenda dulcius charitate. *JESU Christe ! &c.*


*Pro 4<sup>ta</sup> die Veneris in Decembri.*

**A**morem Dei dicebat, esse potens incentivum ad amorem proximorum, ad cujus conservationem, & augmentum necessaria foret bona de illis opinio, & suavis, ac frequens recordatio. *JESU Christe ! &c.*

*Pro 5<sup>ta</sup> die Veneris in Decembri.*

**I**llud etiam dicere erat solitus, quòd charitatis fervor in vilibus, ac abjectis ministeriis, præsertim verò, in tradendis teneræ ætatulæ rudimentis doctrinæ Christianæ plurimum augeretur. Et quòd similia humilitatis opera piam in cordibus proximorū ædificationem excitarent, & auctoritatem magnam servis Dei apud vulgus conciliarent.

*JESU Christe ! &c.*



PARS IV.  
CULTUS DECENDIALIS,  
SIVE

*Modus colendi S. hunc Thaumaturgum  
decem - diali devotione.*

**C**um observatum esset, tum annos, quibus D. Xaverius in excolendis Indiarum gentibus indefessè laboravit, fuisse omnino denos; tum diem ipsius obitûs, qui erat 2. Decembris, eo anno 1552. fuisse feriam sextam; tum etiam supremo vitæ ipsius aâno Crucifixi imaginem in domo paterna quot diebus Veneris, usque ad diem obitûs sanguinem sudâsse, nata est, & non solùm in Italia, ac Regno Neapolitano, sed etiam in Germania, aliisq; locis magno multorum cum fructu, & animæ solatio usurpata devotio, decem ordine dies Veneris, honori ipsius celebres obeundi. Si quem ergo vel necessitas urgeat, vel singularis cujuscpiam per intercessionem S. Xaverii obtinendæ gratiæ desiderium ad ejusmodi devotionem moveat, pauca quædam exercitia pia adnecto, quæ feriis illis sextis, & decursu decem hebdomadarum usurpare possit.

1. Devotè confessionis , ac sacrae synaxeos Sacramenta obire.

2. Jejunio , aut aliâ leviori , pro cuiusque statu , ac posse , abstinentiâ corpus afflictere.

3. Ante Aram ipsius , aut iconem , quam quisque decenter in conclavi suo ornatam conservabit , decem Pater , & Ave , & Gloria Patri , cum hymno , Officio , Litanis , & aliqua oratione recitare. Nec res exigui fructus esset , si quis tempus aliquod in illius virtutum , vel documentorum , meditatione , vel lectione impenderet.

4. Sacrum Missæ sacrificium saltem primo , & ultimo die Veneris fieri curare.

5. Stipem pauperibus pro cuiusque posse , si non corporalem , saltem spiritualem largiri.

6. Super omnia illo die ad Divi honorem , defectum aliquem specialem ex iis , qui plerumque solent magis animæ statum conturbare , & in via spiritûs officere , omni studio contentionèque devitare.

7. Ordinaria per diem opera , quæ spectant studia , & commissum nobis munus , sedulo & accuratè peragere , illa præcipuè , quæ cultum Dei attinent :

qualia sunt auditio Sacri, examen conscientiae, preces matutinae, vespertinae, & aliae.

8. Summâ cum fiducia, magnâq; resignatione optatam gratiam postulare. Etenim ipsâ experienciâ compertum habemus, eos, qui cum fiducia se sub S. Francisci Xaverii patrocinium recipiunt, benignè exaudiri, ut saltem patientiam, & robur, sese Divinae voluntati conformandi, recipiant, si ea, quae petunt, non consequantur.

9. Ut se quis dignum tali gratiâ reddere valeat, tollenda sunt omnia spiritualis profectûs impedimenta, seriò devotioni, internæq; culturæ animi cum frequenti discussione conscientiae insistendô.

10. Demum cum omni diligentia se in proximorum auxilio impendere; ut quivis juxta suum statum in operibus misericordiae corporalis, aut spiritualis ad S. Francisci Xaverii imitationem sese exerceat, orétque pro conversione Gentilium, aliorûmq; peccatorum: recitandô devotè sequentem precatiunculam, quam ipse Sanctus fecit, & frequenter solebat repeterè:


**O** JESU Christe, Deus cordis mei, obsecro te per quinque illa vulnera, quae

quæ tibi in Cruce nostri amor inflixit,  
famulis tuis subveni, quos pretioso san-  
guine redemisti.

*Formula intentionis quâvis die Veneris  
per Decennam usurpanda.*

**A**D majorem Omnipotentis Dei glo-  
riam, in honorem crucifixi Domi-  
ni nostri Jesu Christi, Beatissimæ sine  
macula originali conceptæ Virginis, &  
S. Francisci Xaverii, & speciatim in me-  
moriâ decem annorum, quibus glo-  
riosus hic Indiarum, & Japoniæ Apo-  
stolus in conversione gentium labora-  
bat, & commemorationem optatissimæ  
illius feriæ sextæ, quâ beata illius anima  
ex Virgineo corpore ad nuptias Agni est  
evocata, quâ etiam hebdomadæ feriâ in  
paterno Xaverii Castro per integrum  
annum, qui ultimus vitæ Xaverianæ  
fuit, Imago Salvatoris nostri in Cruce  
pendentis sanguineum sudorem funde-  
re conspecta est, inchoabo (continuabo)  
hodie decemdiâlem devotionem in gra-  
tiarum actionem, &c. & ad impetran-  
dam per intercessionem hujus Sancti  
gratiam N. Suscipe S. Xaveri hæc opera,  
N. eaq; Altissimo offerens unâ mecum  
gratias age pro collatis mihi beneficiis,  
& ora, ut omnibus, quæ ab ipso accepi,  
non

non alio fine , & modô utar , quàm ad  
 ipsius majorem gloriam , & propriam ,  
 aliorúmque salutem. Rogo te, mi fan-  
 cte Pater , ut , quemadmodum alii plu-  
 rimi potens tuum patrociniúm sunt ex-  
 perti , ita etiam pro me ores , ut , quod  
 per hanc devotionem intendo , impe-  
 trem. Per JESUM Christum Dominum  
 nostrum , Amen.



**OFFICIUM PARVUM  
 S. FRANCISCI XAVERII  
 INDIARUM APOSTOLI.**

*INVOCATIO.*

**F**Rancisce mundi gloria,  
 Orbisque lumen alterum :

Ignatio quem proximum  
 Gradu secundô ponimus.

Audi clientum carmina,  
 Quæ mente gratâ pangimus,  
 Et ora te canentium

Aurâ favoris subleva.

Mens incalescat spiritu,  
 Ille incitata spiritu,  
 Quô tu flagrabas unicè  
 Augere Christi gloriam :

Fac , ut medullas pectorum  
 Cœlestis intret gratia :

Quæ

Quæ nos supernis sedibus  
Terris solutos asserat.

Sit Trinitati gloria,  
Quæ per suum Xaverium  
Utrumque mundi cardinem  
Novo replevit lumine, Amen.

AD MATUTINUM.

℣. Amor nominis J E S U accendat præcordia nostra.

℞. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies.

℞. Et os meum annuntiabit laudē tuam.

℣. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*A Septuagesima usque ad Pascha, locò Alleluja, dicitur: Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.*

*Hymnus.*

**Q**uis te, Xaveri, flammæ  
Mentis subegit impetus,  
Virtutis altum ut tramitem  
Ausu virili scanderes?

Non te coruscus lubricæ  
Fulgor fefellit gloriæ:  
Non fascinavit aureos  
Fortuna nectens compedes.

Non forma, non ætas tua  
Fregere robur pectoris:

**Non**



Non corporis mendax honos,  
Ebúrque frontis candidum.

Hæc cuncta calcans fortiter  
Gressu superbo præteris:  
Sic victor ad tutissimam  
Arcem salutis evolas.

Sit Trinitati gloria,  
Quæ per suum Xaverium  
Calcare pompam sæculi.

Rudes alumnos edocet, Amen.

*Antiph.* Iste est lucerna ardens, & lu-  
cens, qui tenebris hæresum mundo of-  
fusus lumen veræ fidei adduxit, & frigi-  
dis hominum mentibus charitatis im-  
pertivit amorem.

✠. Ora pro nobis S. Francisce Xaveri.

℞. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

O R E M U S.

**D**EUS, qui Indiarum Gentes Beati  
Francisci prædicatione, & mira-  
culis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti:  
concede propitius, ut, cujus gloriosa  
merita veneramur, virtutum quoque  
imitemur exempla. Per Dominum no-  
strum, &c.

A D L A U D E S.

✠. Amor nominis J E S U accendat præ-  
cordia nostra. ℞. Amen.

✠. Deus in adjutorium, &c. Gloria, &c.

*Hym.*

*Hymnus.*

**C**eu vasta rupes Caucaſi  
Jactata ſævis fluctibus  
Nullo movetur turbine,  
Nec ſentit iras æquorum :

Sic alta mens Xaverii  
Cœlo ſereni verticis  
Innube culmen admovet,  
Nec noſtra ſentit nubila.

Ruunt Cyclopes inferi,  
Tunduntque terga fuſtibus,  
Incus ſed illa vapulans  
Fuſtes putavit baſama.

Sic ridet iras Tartari,  
Sic atra ridet agmina :  
Pro ſe cohortes ætheris,  
Cùm militarent, aſpicit.

Sit Trinitati gloria,  
Quæ per ſuum Xaverium  
Virtute nos conſtantia  
Nudos obarmat milites, Amen.

*Antiph.* Similabo eum viro ſapienti,  
qui ædificavit domum ſuam ſupra pe-  
tram.

ŷ. Amavit eum Dominus, & ornavit  
eum.

℞. Stulam gloriæ induit eum.

Oremus. Deus, qui Indiar. &c. pag. 88.

AD PRIMAM.

✠. Amor nominis JESU accendat præcordia nostra. R. Amen.

✠. Deus in adjutorium, &c. Gloria, &c.

*Hymnus.*

**V**is illa qualis ignea,  
Quæ te, Xaveri, sustulit,  
Dum supplicares Numini,  
In ipsa raptus sidera!

Illic licebat Nectaris  
Potare fontem lucidum:  
Illic licebat intima  
Intrare cœli gaudia.

Hinc illa vox creberrima,  
Jactata terris omnibus:  
Satis, fatis, vos cœlites,  
Rivos beatos claudite.

Sed parce, parce, mi Pater  
Si tu redundas ebrius,  
DEUMQUE plenus excutis,  
Tuos clientes aspice.

Sit Trinitati gloria,  
Quæ per suum Xaverium  
In uda terræ viscera  
Cœli favores depluit, Amen.

*Antiph.* Hic vir despiciens mundum,  
& terrena triumphans, divitias cœlo  
condidit, ore, manu.

✠. Justum deduxit Dominus per vias  
rectas.

R. Et ostendit illi Regnum Dei.

Oremus. Deus, qui Indiar. &c. pag. 88.

AD TERTIAM.

✠. Amor nominis Jesu, &c.

✠. Deus in adjutorium, &c. Gloria, &c.

*Hymnus.*

**O** ! quantus ardor Numinis  
Francisce te compleverat :  
Cùm Japonum novalibus  
Cœleste semen spargeret ?

Pelluntur aris dæmones,  
Atque regnis dulcibus,  
Charâ migrantes Japone,  
Ad nigra tendunt Tartara.

Hic nemo Chamis supplicat,  
Nulli timentur Amidæ,  
Algent, faméntque Bonzii,  
Christi triumphat signifer.

Semente ab ista pullulat  
Seges beata Martyrum :  
Unde annuis jam messibus  
Cœli replentur horrea.

Sit Trinitati gloria,  
Quæ per suum Xaverium  
Cæcis videre gentibus  
Lucem dedit mirabilem, Amen.

*Antiph.* Inveni David virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

✠. In omni opere dedit Confessionem Sancto.

℞. Et excelso in verbo gloriæ.

Oremus. Deus, qui Indiar. &c. pag. 88.

A D S E X T A M.

✠. Amor nominis Jesu, &c.

✠. Deus in adiutorium, &c. Gloria, &c.

*Hymnus.*

**O** ! quàm fideli Pegaso  
Molles per auras labitur,  
Quemcúmque dorso nobili  
Felix recepit gratia.

Franciscus inter Japonum  
Saxeta nudus ambulat;  
( Si nudus est, quem purpurâ  
Fulgente vestit charitas )

Caput relictum solibus  
Umbrâ galeri negligit,  
Sat tectus est, cui desuper  
Suspendit umbram charitas.

Pes purpuratus sanguine  
Se credit inter lilia,  
Spinâsque, quas calcaverat,  
Putat rosarum basia.

Sit Trinitati gloria,  
Quæ per suum Xaverium  
Nescire rerum commoda  
Turbas sequaces erudit, Amen.

*Antiph.* Vas electionis est mihi iste, ut  
portet nomen meum coram gentibus,  
& regibus.

✠. Omnibus omnia factus sum.

✠. Ut omnes Christo lucrifaciam.

Oremus. Deus, qui Indiar. &c. pag. 88.

A D N O N A M.

✠. Amor nominis Jesu, &c.

✠. Deus in adiutorium, &c. Gloria, &c.

*Hymnus.*

**Q**uis æstus ille pectoris?  
Qui mentis ardor intimæ?  
Quò gestiebas Martyris  
Grandem mereri lauream.

Curris Sinas ad ultimos,  
Mundique pulsas limitem,  
Ubi illa palma parvulo  
Vænire sumptu creditur.

Sed regna stant aheneis  
Dudum obserata postibus,  
Longum licèt pulsaveris,  
Non audieris advena.

Francisce, vis te Martyrem?  
Tyrannum amorem cogita,  
Hic te corona nobili  
Donabit absque sanguine.

Sit

Sit Trinitati gloria,  
Quæ per suum Xaverium  
Novos amoris Martyres  
Inferre cœlis incipit, Amen.

*Antiph.* Hic est, qui semper Evange-  
lium Christi in pectore gerebat, & non  
diebus, neque noctibus à colloquiis di-  
vinis & oratione cessabat.

ŷ. Os justi meditabitur sapientiam.

℞. Et lingua ejus loquetur judicium.

Oremus. Deus, qui Indiar. &c. pag. 88.

AD VESPERAS.

ŷ. Amor nominis JESU, &c.

ŷ. Deus in adjutorium, &c. Gloria, &c.

*Hymnus.*

**S**ed ecce! febrî torridâ  
Exæstuarè viscera:  
( Si febris est, & non magis  
Amoris hoc incendium.)

Amor, tyranne parvule,  
Nimisque blande carnifex!  
Quousque tandem strenuum  
Torquere gaudes militem?

En qualibus suspiriis  
Anhelat astra scandere!  
Ah solve nexus compedum,  
Durumque pande carcerem!

Audimur? ecce! fulgidum  
Franciscus intrat æthera;

Jo triumphe, vicimus!  
 Palmam tenet Xaverius.

Sit Trinitati gloria,  
 Quæ per suum Xaverium  
 Nos, his relictis sedibus,  
 Tandem beatis inferat, Amen.

*Antiph.* Iste homo perfecit omnia, quæ  
 locutus est ei Deus, & dixit ad eum: in-  
 gredere in requiem meam, quia te vidi  
 justum coram me ex omnibus gentibus.

✠. Lex Dei ejus in corde ipsius.

℞. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Oremus. Deus, qui Indiar. &c. pag. 88.

AD COMPLETORIUM.

✠. Amor nominis JESU, &c.

✠. Convertete nos Deus salutaris noster.

℞. Et averte iram tuam à nobis.

✠. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Hymnus.*

**Q**uis jam patrata coelitus  
 Edisserat miracula?

Pleni loquuntur codices,

Omnisque mundus prædicat:

Cæcos videre sidera,

Saltare claudos, auribus

Redire surdis tympanum,

Vix instar est miraculi.

Nam



Nam quanta fracto marmore  
 Rediviva surgunt funera !  
 Vix ipsa mors est mortua,  
 Visô semel Xaveriô.

Sic ille ab astris nunc quoque  
 Vultus geméntûm respicit,  
 Votique damnat supplices,  
 Dextrámque claudit nemini.

Sit Trinitati gloria,  
 Quæ per suum Xaverium  
 Terras replet miraculis  
 Novisque cœlum civibus, Amen.

*Antiph.* Iste cognovit justitiam, & vi-  
 dit mirabilia magna, exoravit Altissi-  
 mum, & inventus est in numero San-  
 ctorum.

Ÿ. Elegit eum Deus, & præelegit eum.  
 R. In tabernaculo suo habitare fecit eum.  
 Oremus. Deus, qui Indiar. &c. pag. 88.

*Commendatio.*

**F**Rancisce, mundi gloria,  
 Orbisque lumen alterum !  
 Qui nunc beatis cœlitum  
 Mensis quietus accubas :  
 Agnum secutus prævium  
 Ludis choreas virgines,  
 Intérque cœtus candidos  
 Comes pudicus ambulas.


O ! si teramus asperam  
Tecum pudoris semitam !  
Da , da , Pater , quod poscimus,  
Nec sperne vota supplicum :

Sint pura nobis pectora,  
Fœdata nullis fordibus,  
Ut æmuli virtutibus  
Pari fruamur gloriâ.

Sit Trinitati gloria,  
Quæ per suum Xaverium  
Donet pudorem mentibus,  
Pudoris & det præmia , Amen.

✠. Ora pro nobis beatissime Franciscæ.  
℞. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

Oremus. Deus , qui Indiar. &c. pag. 38.



LITANIÆ

AD

S. FRANCISCUM  
XAVERIUM,

QUAS

*Illustrissimus Dominus D. F. Casparus de  
Villorroël , Episcopus S. Jacobi Chilenfis , &  
Regiæ Hispaniarum Majestati à Consiliis , in  
honorem Sancti ( quod eius patrociniò inter  
ruinas , ex terræ motu jam sepultus , salvus  
evaserit ) gratitudinis ergò concinnavit ipse,*

Sta-

*Et statis ex voto diebus recitavit; ac deinde in publicum aliorum bonum typis evulgavit.*

**K** Yrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

S. Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

S. MARIA, sine labe concepta Virgo, ora pro nobis.

Sancta DEI Genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Sancte Pater Ignati,

S. Franciscæ Xaveri, dignissime, & dilectissime Fili S. P. Ignatii,

S. Franciscæ Xaveri Indiarum Apostole,

S. Franciscæ Xaveri Evangelizans pacem,

S. Franciscæ Xaveri Evangelizans bona,

Vas electionis portans nomen Jesu coram gentibus,

Vas redundans divinæ charitatis,

Firmamentum Orientis Ecclesiæ,

Propugnator Fidei,

Impugnator infidelitatis,

Prædicator Evangelicæ veritatis,

Ora pro nobis.

Ido-

Idolorum destructor,  
 Electum à Patre æterno instrumen-  
 tum propagandæ divinæ gloriæ,  
 Fidelis imitator, & socius JESU Chri-  
 sti Filii Dei,  
 Tuba resonans sancti Spiritûs,  
 Columna Templi Dei,  
 Lux paganorum,  
 Magister credentium,  
 Speculum veræ pietatis,  
 Dux in via virtutum, & Christianæ  
 perfectionis,  
 Exemplar Apostolici Spiritûs, & fan-  
 ctitatis,  
 Lumen cæcorum,  
 Pes claudorum,  
 Auxiliator naufragantium,  
 Salus ægrotantium,  
 Fugator dæmonum,  
 Suscitator mortuorum,  
 Cujus potestati obediunt mare, &  
 tempestates,  
 Cujus imperia venerantur universa  
 elementa,  
 Prodigiorum Thaumaturge,  
 Refugium miserorum,  
 Gaudium afflictorum,  
 Orientis splendor,  
 Pignus resurrectionis ad vitam gra-  
 tiæ, & gloriæ,

Ora pro nobis.

Tabernaculum incorruptionis,  
 Ærarium divini amoris,  
 Gloria Societatis JESU,  
 Legate Apostolice Romanæ Sedis,  
 Pauperrime Xaveri,  
 Castissime Xaveri,  
 Obedientissime Xaveri,  
 Humillime Xaveri,  
 Crucis Christi, ac laborum pro Chri-  
 sto cupidissime Xaveri,  
 In salutem proximi vigilantissime  
 Xaveri,  
 Suavissime Xaveri,  
 Gloriosissime Xaveri,  
 Animarum, & divini honoris zela-  
 tor ardentissime,  
 Angele moribus, & vitâ,  
 Patriarcha affectu, & studiô curandi  
 populum Dei,  
 Propheta donô, & spiritu,  
 Apostole dignitate, & meritô,  
 Doctor gentium potens in multifa-  
 rio sermone, & opere,  
 Confessor virtute, & vitæ profes-  
 sione,  
 Virgo animô, & corpore,  
 In quo uno Sanctorum omnium  
 merita ex divina benignitate ve-  
 neramus,

Ora pro nobis.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
Parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
Exaudi nos Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie  
eleison. *Pater noster, &c.*

Or. Ora pro nobis S. Franciscæ Xaveri.

R. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

OREMUS.

**D**EUS, qui glorificantes te glorificas,  
& in Sanctorum tuorum honori-  
bus honoraris: concede propitius; ut,  
qui B. Francisci Xaverii Confessoris tui  
gloriosa merita colimus, ejus pia patro-  
cinia sentiamus. Per Dominum no-  
strum, &c.

PIA ASPIRATIO

*Animæ salutantis, & se tutelæ S. Xave-  
rii ex integro committentis.*

**O**Mni amore dignissime S. Pater, ô  
magne Orientis Apostole, ô admi-  
rande toto Orbe Thaumaturge! acce-  
do, & advolvor supplex augustissimo il-  
li tuo gloriæ cœlestis solio, cui innume-  
ræ, ex remotissimis Insulis, & Regioni-  
bus,

bus, Apostolicis tuis cum vita & sanguine impensis laboribus assertæ cœlo animæ affuso poplite assistunt, gratæ tuis, ô munificentissime Xaveri! tam imensis beneficiis, Te ut salutis assertorem obsequiosissimè venerantur. Inter tot protectioni tuæ commissas animas, obsecro, & meam paternè commendatam habeas, quam tuo potenti tueri præsidio, & ab interitu vindicare potes. Humillimo, & ardentissimo corde DEO Optimo Maximo infinitas refero gratias pro omnibus insignibus donis, meritis & favoribus, quos in te, zelose Indiarum Apostole, mirificè cumulavit, præcipuè verò profundissimè veneror donū tuæ divinæ consolationis, & eximiæ sanctitatis; concede, oro suppliciter, his utrisque animam & corpus meum in omnibus necessitatibus, & afflictionibus constanter perfrui. Ingenti illi cordium censui, quæ tuæ se prodigiosæ tutelæ consecrârunt, meum simul, & meorum, cum omnibus facultatibus meis submissè appendo, & dedico in anathema! Cura, protege, defende me, meaque omnia; ita instantissimè obtestor te, ita jugiter me totum commendo tibi, tuæque charitati & fidei, quam tuis tibi commissis clientibus in finem vitæ certissimè

tissi-

tissimè, & fidelissimè præstas, ô magne S. Xaveri ! Amen.

O R A T I O

*Consuetudo Venerab. P. Vincentii Caraffæ, VII. Generalis Societatis JESU ad eundem S. Thaumaturgum.*

**O** Magnanime, ô invicte miles Christi ! ô beatissime cœli incola ! ô sancte ! ô gloriose Francisce Xaveri ! Tu Seraphin Paradisi cœlestis, tu zelosissime Prædicator Gentium, tu novi orbis magne Apostole, tu resonans tuba divini spiritûs, quâ utroq; in orbe tot mortui resuscitati ad vitam. Tu es vas electionis portans Nomen JESU coram barbaris ac infidelibus. Agnoscimus, & veneramur in te, ô magne Sancte ! altissima tua virtutum merita, integerrimam vitæ innocentiam, sanctitatem morum, exemplarem vivendi normam, puritatem Virgineam, candidissimi instar lili, in opitulando egentibus præpotentem tuam, & pronam dexteram, ut novi, hâc nostrâ ætate, universo orbe præsentissimi Thaumaturgi. Gratulamur tibi intimè ingentem tuam gloriam, quâ etiamnum in cœlis frueris, & in æternum perfruêris. Quot animas, ô magne Apostole, DEO lucratus es, tot in



cœlo te coronæ nobilitant ; Quot cruce-  
ces , & adversa sustinuiſti , tot insignia  
tuæ gloriæ trophæa numeras ; quot per-  
secutiones , & injurias perpeſſus es , tot  
perſonant illuſtres honorum tituli , tot  
encomia , applauſus , & jubili ; quibus  
te univerſa cœleſtis curia , & ipſum ſu-  
premmum Numen , ſupra myriades ſu-  
pernorum Indigetum , prodigioſè glori-  
ficat. O amabiliſſime ! ô ſanctiſſime  
Xaveri ! quàm glorificatus , quàm ma-  
gnificatus es vehementer ! Te Advoca-  
tum noſtrū ardentiffimè imploramus ;  
confidimus de tua ſancta protectione ;  
vivimus ſub tuo præſidio omnis metûs  
expertes. Suscipe , ô magne Sancte , hoc  
noſtrum humile cordis homagium , &  
impetra nobis genuinam virtutum tua-  
rum heroicarum ſequelam ; videlicet  
vilitatis , & noſtri ipſius , cum profunda  
demiffione , perſpicuam cognitionem ,  
heroicum animum promovendæ divi-  
næ gloriæ , Seraphicam Dei dilectionem ,  
abſolutum rerum terrenarum contem-  
ptum , continuum bonorum cœleſtium  
flagrans deſiderium , & demum arden-  
tiſſimam æquè , ac humillimam cordis  
devotionem in Mariam Matrem no-  
ſtram pientiffimam , & Deiparam , ma-  
gnam Angelorum Reginam , ut hanc

una

unà tecum, tuâ ope auxiliante, toto affectu hîc in terris diligamus, & tandem illius, in æterna beatitudine, felices filii potiamur, Amen.

## ORATIO AFFECTUOSA

*Ad eundem Sanctum, in quacunq; corporis, aut animi afflictione.*

**S**anctissime Pater Francisce Xaveri! qui ex ore infantium, & lactentium perficis laudes tuas; humillimè obsecro propensissimam charitatem tuam per sanguinem Jesu pretiosissimum, & per Immaculatam Conceptionem Sanctissimæ Dominæ nostræ Mariæ, ut mihi ab infinita Dei bonitate, si me in hac mea afflictione NN. diutiùs permanere expedit, impetres, ut eam ex manu Dei susceptam, patientissimè perferam in honorem patientis Christi: si me summa Dei bonitas eâ liberum velit, Protector mi prodigiosissime, excita potentiam tuam, & veni; ut me ab afflictione hac mea liberares in manu forti, & brachio tuo excelso: ut nulli humano auxilio, sed tuis apud JESUM & MARIAM intercessionibus mihi impetratam debeam ejusdem liberationem. Ecce mi Pater clementissime, ante te omne desiderium

meum, & gemitus meus à te non est absconditus, Amen.

P R E C E S

*Ad S. Xaverium, Juventuti Scholasticae accommodatae.*

O R A T I O

*Pro remissione peccatorum, & dono castitatis per intercessionem S. Xaverii impetrando.*

**D**EUS, Virginitatis amator, qui Beato Francisco Xaverio inter alias singulares gratias, & prærogativas eximium castitatis donum contulisti, eumque inter plurima pericula illibatum conservasti: concede propitius mihi, per intercessionem ejusdem Sancti, veniam peccatorum, quibus tuam divinam Majestatem per totam vitam meam, in hæc NN. præcipue materia offendi. Dolco Domine ex toto corde, quia amo te, & ita amo, ut, si nec cælum, nec infernus esset, tamen amarem te, solum quia Rex meus es, & solum quia Deus es. Propono cum gratia tua emendationem feriam, & fugam occasionum peccandi, custodiam oculorum, aurium, manuum, linguæ, & omnium potentiarum. Malo deinceps mori, quam fædari. Ita  
me

me tua sancta gratia adjuvet, & confirmet, Amen.

Sancte, & castissime Indiarum Apostole, cujus corpus in testimonium, & præmiũ Virginitatis servatæ, post mortem mirabiliter à corruptione est præservatum, conserva etiam per merita, & intercessionem tuam, corpus meum mundum ab omni putredine peccatorum: cohibe petulantem appetitum, & sensus ad libertatem inclinatos: expelle ex animo meo imaginationes indecentes: imbue intellectum principiis spiritualibus: accende voluntatem meam igne divini amoris, ut generosè se opponat carni, & sanguini: fuggere etiam occasionem, & zelum alias errantes oviculas tuò exemplò unà mecum ad pastorem bonum reducendi, & protege nos, ut eidem, usque ad finem vitæ constanter adhæreamus, Amen.

O R A T I O

*Pro gratia sanctè, & fructuosè studendi,  
impetranda per intercessionem sancti Xaverii.*

**D**EUS, qui S. Franciscum Xaverium per literarũ studia ad munus convertendi errantes animas præparãsti, me quoque ad litteras, & artes addiscendas

applicari voluisti; da mihi per intercessionem hujus Sancti, gratiam seridò, & sedulò me applicandi ad studia: subministra media ad profectum conducentia, remove impedimenta obstantia, ut aliquando utilis Ecclesiæ tuæ in eo statu, & officio, in quo me tua sancta dispositio positura est, tibi & illi servire possim. Successus gloriosos si dederis, de manu tua humiliter accipiam, non mihi, sed nomini tuo adscribam: si negaveris, dicam: Bonum mihi, quia humiliasti me. Da Domine, ut non nisi ei facultati, eò modò, & fine studeam, cui, quomodo, & quia tibi placet, Amen.

Sancte Francisce Xaveri, Doctor, & Magister meus, tu bonitatem, disciplinam & scientiam doce me: ora etiam mecum pro illis, à quibus, & cum quibus in literis instruor. Simus omnes unà tecum Auditores constantes, & fideles magni Magistri Christi Jesu, ut ab eo mereamur accipere præmia æterna, Amen.

## O R A T I O

*Deliberantis de certo vitæ statu deligendo, cum invocatione S. Francisci Xaverii.*

**D**EUS, qui ineffabili bonitate tua omnes per regiam mandatorum  
viam,

viam, ad diversissimas semitas, seu particulares status, officia, & functiones ordinasti, per quas incedens salvari quidem quilibet potest, sed non quilibet salvabitur, cum multi pereant per unam, salvandi, si per alteram incessissent. Suppliciter te deprecor per intercessionem, & merita S. Francisci Xaverii: dirige gressus meos, ut inveniam eam semitam, quam non tantum possum salvari, sed quam per paratam à te seriem gratiarum efficacium actu salvandum me praevides. Sequi paratus sum, quocumque me duxeris. Paratum cor meum. Loquere, quia audit servus tuus. Fiat à me, in me, per me, de me, ac de omnibus meis tua sanctissima voluntas, Amen.

Sancte Francisce Xaveri, impetra mihi à Deo gratiam luminis, quò illuminatus juxta principia, & dictamina non mundi & carnis, sed spiritus me dirigam, & inveniam illum statum, per quem me Deus ad caelum ducturus est. Imprime cordi meo illam, quæ tibi in simili negotio maximè proficua fuit, doctrinam caelestem Christi Magistri nostri: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò suae detrimentum patiatur?* Roga mecum, & pro me eundem caelestem Magistrum, ut

me

070

#11#

0.0

me doceat scire, velle, & facere, quod ipsi placet, & mihi prodest, Amen.

## O R A T I O

*Adolescentis jam resoluti, & aspirantis  
ad certum vite statum cum invoca-  
tione S. Xaverii.*

**D**EUS, qui me ex nihilo ad imagi-  
nem, & similitudinem tuam crea-  
sti, in hunc finem, ut te Dominum ac  
Deum meum laudem, reverear, tibi que  
serviens tandem salvus fiam: quique in-  
ter varia media ad hunc finem diversos  
in Ecclesia status, & officia constituiisti,  
unum per istam, alium per aliam viam  
pro mirabili Divinæ tuæ providentiæ  
dispositione perducens ad æternam feli-  
citatem: mihi verò pro medio & via,  
quâ per gratiam tuam ad finem ulti-  
mum perventurum me spero, assignare  
dignatus es, ut in statu NN. ( sæculari,  
laico, vel Ecclesiastico, vel religioso )  
vitam meam honori tuo impendam.  
Profiteor, Domine, me hunc non ex alio  
motivo eligere; quàm quia coram ocu-  
lis Divinæ Majestatis tuæ me totum sin-  
cerè offerens, hanc judico tuam esse de  
me voluntatem. Hinc, si quid aliud  
mihi nunc, vel deinceps quocunq; tem-  
pore inspirare dignatus fueris, ecce me  
qua-

quavis horâ paratum sequi. Da ergo, Domine, per merita S. Patroni mei Francisci Xaverii, ut per viam rectam, tum omnibus Christianis communem, tum huic statui propriam incedens, nec ad dextram, nec ad sinistram declinem, sed ita transeam per hæc temporalia, ut non amittam æterna.

Tu verò sancte Patrone mi, Francisce Xaveri, impetra mihi à Deo gratiam, ut, quemadmodum tu juxta eam, quam tibi Deus dedit, vocationem pergendô, ad tam insignem sanctitatis gradum es promotus, sic ego eâ, quâ me Deus ducit, viâ progrediens, ad eundem tecum viæ & vitæ Christianæ terminũ, nempe felicem æternitatem perveniam, Amen.

*Invocatio S. Xaverii pro bona morte.*

**S**anctissime Pater Francisce Xaveri, qui ex innocentium, & infantium ore perfecisti laudes tuas: per sanguinem pretiosissimum Jesu Christi, & per Immaculatam Conceptionem Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei, & Dominae nostræ, humillimè imploro benignissimam, & insatiabilem charitatem tuam, impetra mihi ab infinita Dei bonitate, ut, dum appropinquaverit supremus dies, & hora mortis meæ, cor  
meum



meum se recolligat, recedat ab omnibus evagationibus, & cogitationibus mundi hujus, & se convertat ad quendam ardentissimum Dei amorem, & æternitatis beatæ desiderium, ut relictis rebus, & cogitationibus illis, quæ in hunc diem toties conturbaverunt animam meam, totâ diligentia inquirat, & rectè inveniat illud unum summè necessarium bene mori, & requiescere in pace, in amplexu SS. Virginis Mariæ, in vulneribus Jesu benedicti Filii sui, in suavissimo osculo Dei, & Domini mei, & in assistentia, & præsentia tua, per cujus potentem intercessionem hanc supremam gratiam impetrare confido. Interea verò, donec æterna dispositio divinæ providentiæ hanc mihi vitam conservare voluerit, rogo te, Protector mi amantissime, & suavissime Pater, impetra mihi à Divina Majestate, ut sic, & non aliter vivam, quàm is, qui mori debet, & qualiter vixisse optabo in hora mortis meæ, imitandò virtutes tuas, adimplendò in omnibus Sanctissimam Dei voluntatem, ut mors temporalis mihi janua sit ad vitam æternam, Amen.



*Preces, & Aspirationes à S. Xaverio  
concinnatæ, & eidem Sancto ad-  
modùm usitatæ.*

**A**Terne rerum omnium effector  
Deus, memento, abs te animas in-  
fidelium, Hæreticorum, & peccatorum  
procreatas, easq; ad imaginem, & simi-  
litudinem tuam conditas. Ecce Domi-  
ne! in opprobrium tuum his ipsis infer-  
nus impletur. Memento, JESUM Filium  
tuum pro illorum salute atrocissimam  
subiisse necem. Noli, quæso, Domine,  
ultra permittere, ut Filius tuus ab infi-  
delibus contemnatur, sed precibus San-  
ctorum virorum, & Ecclesiæ sanctissimi  
Filii tui sponsæ placatus, recordare mi-  
sericordiæ tuæ, & oblitus idololatriæ, &  
infidelitatis eorum, effice, ut ipsi quoq;  
agnoscant aliquando, quem misisti Do-  
minum JESUM Christum, qui est salus,  
vita, & resurrectio nostra, per quem sal-  
vati, & liberati sumus; cui sit gloria  
per infinita sæcula sæculorum, Amen.

*Oratio pro persecutoribus.*

**D**omine JESU Christe, Deus cordis  
mei, per acerbissimos mortis tuæ  
cruciatus obtestor te, ut intuearis tuas  
ipse cicatrices, & vulnera, quæ Patri  
tuo

tuo assiduè pro nobis exhibes, eaque salubria esse velis omnibus persecutoribus nostris, ut resipiscant, Amen.

*Suspiria sinceri amoris.*

**N**ec gaudiorum æternitas  
 Promissa diligentibus,  
 Nec inferorum æternitas  
 Parata negligentibus,  
 Nec illa me, nec ista me  
 Amare te coëgit;  
 Te, qui cruenti stipitis  
 Sublatus in theatrum,  
 Exemplar es pulcherrimi,  
 Et artifex amoris,  
 Ah conspicio trabalibus  
 Manus, pedésque clavis,  
 Fixúmque pectus, militis  
 ( Sed plus amoris ) hastâ !  
 Heu ! flagra, spinas, vulnera,  
 Heu ! probra, sputa, fannas,  
 Tandémque contemptissimam  
 Pro me nocente mortem !  
 Hæc una me dulcissimi  
 Sinceritas amoris,  
 Hæc, ô amator optime !  
 Amare te coëgit.  
 Si nulla nobis præmia  
 Promitteres, amarem :

Si nulla nobis tartara  
 Prædiceres , amarem.  
 Grátisque te , sempérque te  
 Amo , Deus , & amabo ;  
 Ut tu prior , grátisque me  
 Amaveras , amabo.  
 Tantúmque te , quòd optimus,  
 Deúsque sis , amabo.



P A R S V.  
 CULTUS NOVENDIALIS,

S I V E

*Modus colendi S. Xaverium No-  
 vendiali devotione.*

**D**Evotionis hujus, jam totâ ferè Europâ  
 celebris, Author piè creditur esse ipse  
 D. Xaverius, qui jam cœlis receptus P. Ma-  
 strillum S. J. celebri miraculo abs se sanita-  
 ti restitutum eam docuisse legitur, & simul  
 plurimas spondisse gratias eam devotè obi-  
 turis. Conjungitur in ea memoria SS. in  
 novem Choros distinctorum Angelorum, &  
 desideratæ gratiæ petuntur per sacratissi-  
 mum Christi sanguinem, Inmaculatam Con-  
 ceptionem Virginis Deiparæ, ac merita S.  
 Xaverii. Qui proinde hanc devotionem obi-  
 re voluerit, ex sequenti piorum operum Ca-  
 talogo, ea, quæ placuerint, seligere poterit.

I. Cen-

1. Confessio Sacramentalis, & S. Communio primâ & ultimâ die, ac, si placet, etiam aliquâ intermediâ. Aut quid, si unius, aut plurium Classium Discipuli junctis animis in id convenirent, ut primâ & ultimâ die omnes, intermediarum septem dierum quâlibet aliqui, Sacramentorû perceptione communem Patronum venerarentur?

2. Quotidie ad eisdem aram, si fert occasio, audire sacrum, idque, si nihil obstat, præter sacrum, quod quisque in singulas dies audire supponitur, præsertim si eodem tempore, & loco publicè celebratur solennitas ista, sive Sacrô, sive Litaniis sub Vesperum, quibus pariter adesse poterit, cui per occupationes licet.

3. In singulos dies præter ordinarias definiantur aliquæ preces dicendæ ad eandem intentionem, & Sancti venerationem, quales sunt Officium, Litaniæ, &c.

4. Quotidiè aliquid spirituale ab hoc Sancto, vel ab aliis de illo conscriptum, aut, si hæc desint, ex Thomæ Kempensi, aliòve pio libro legere.

5. Lectioni ab aliquibus fructuosè addi posset meditatio accommoda; pro qua, si alia desit materia, uberem præbere potest thesis à Christo omnibus proposita, & præcipuè S. Xaverio fructuosa, & familiaris; Quid prodest homini, si mundum universum  
lucre-

lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur ? Hæc probè ponderata admiranda dabit corollaria.

6. Bona est oratio cum jejunio, & elemosyna. Ut ergo Deo, Divis que gratior sit hæc devotio, adjungenda sunt ei quedam opera mortificationis, & misericordie, ad quæ occasio volenti deesse non potest: ut enim non quilibet ciliciò, aut flagellis, aut jejuniiis corpus affligere, aut stipe pecuniariâ proximo subvenire possit, possunt tamen aliqui, quos inter si tu non sis, quis prohibet? quò minus studeas esse.

7. Per hos dies cautiùs solitò linguam, oculos, manus, ac reliquas potentias custodire, maxime in iis circumstantiis, in quibus libertas sensibus sine peccato concedi non potest. (Cape tibi hoc NN. & si aliter abs te impetrari non sinas, saltem per hos dies DEUM graviter non offende) Aut Eleemosynâ spirituali proximum juvare, id est, precibus, instructione piâ parvulorum ac rudium, ac aliorum etiam inductione ad cultum S. Xaverii.

8. Opera quotidiana tum cõmunia omnibus Christianis, tum particulares officii functiones per hoc tempus exactè, & cum bona intentione peragere in honorem hujus Sancti; neque enim gratius ei aliquid offerre potes, quàm illud, quod unice DEUS à te  
exigit:

*exigit: exigit autem, ut bene agas, quod agis ex vocatione, & officio, qualia sunt: quotidie orare, conscientiam examinare, Studere, &c.*

*9. Quavis die pro posse aliquam virtutem S. Xaverii imitari, & intentionem piam renovare, pro qua servire potest sequens*

*Formula Intentionis.*

**O**Mnipotens æterne DEUS! ad majorem tui nominis gloriam, memoriam pretiosissimi sanguinis ab unigenito Filio tuo D. N. J. C. effusi, Immaculatæ Conceptionis B. V. M. in venerationem SS. Angelorum, & præcipuè S. Francisci Xaverii offero tibi hanc devotionem. **1.** In gratiarum actionem pro innumeris beneficiis, quibus hunc Sanctum in toto orbe gloriosum effecisti, & quibus per ejusdem merita, & intercessionem alios plurimos, ac inter illos etiam me indignissimum affecisti. **2.** Ad impetrandam pro me, & aliis N. N. per ejusdem preces remissionem peccatorum, præsertim N. gratiam efficacem ea deinceps fugiendi, *in studiis bene proficiendi*, quantum vides pro animæ meæ salute conducere, successum bonum in negotiis meis, præservationem aut liberationem à morbo, inopia, &c. ac demum gratiam in omnibus ac præcipuè  
in

in rebus majoris momenti ( qualis est ,  
v. g. electio statûs vitæ ) agnoscendi , &  
agendi , quod DEO placet , & sanctè  
moriendi.

Suscipe S. Xaveri hæc opera , eaque  
Altissimo offerens , unà mecum gratias  
age pro collatis mihi beneficiis , & ora,  
ut omnibus , quæ ab ipso accepi , non  
alio fine , & modo utar , quàm ad ipsius  
majorem gloriam , & propriam alio-  
rùmque salutem. Rogo te etiam sancte  
Pater , ut , quemadmodum alii plurimi  
potens tuum patrocinium sunt experti,  
ita etiam pro me ores, ut, quod per hanc  
devotionem intendo, impetrem. Quod  
quidem , sicut & omnia alia mea desi-  
deria , & vota non aliter exaudiri peto,  
quàm sicut Deus videt ea mihi profutu-  
ra ; neque enim volo, ut mea, sed ut il-  
lius in me , & à me voluntas fiat. Un-  
de , si est ad majorem ejus gloriam , ut  
non exaudiar , hanc unicè gratiam mi-  
hi impetra, ut in omnibus sanctissimam  
Dei voluntatem, & dispositionem agno-  
scere , fortitèrque quà patiendô , quà  
agendô exequi valeam , Amen.

*Oratio ad S. Xaverium.*

**G**loriosissime S. Francisce Xaveri,  
Apostole Indiarum ! si est pro glo-  
ria



ria Dei nostri, & honore tuo, ut consequar, quod desidero, & per hanc Novenam efflagito, impetra mihi magne, ac potentissime serve Dei desideratam gratiam. Si verò non conducat ad Dei gloriam, & honorem tuum, dirige petitionem meam, & pro me à Deo id unum postula, quod utilius est ad Dei gloriam, & ad bonum animæ meæ.

*Mox sequentem Orationem.*

**S**ANCTISSIME Pater FRANCISCE Xaveri! qui ex innocentium, & infantium ore perfecisti laudes tuas, per sanguinem pretiosissimum JESU CHRISTI, & per Immaculatam Conceptionem sanctissimæ Virginis MARIÆ, Matris Dei, & Dominiæ nostræ, humillimè imploro benignissimam, & insatiabilem charitatem tuam, impetra mihi ab infinita Dei bonitate, ut, cum appropinquaverit supremus dies, & hora mortis meæ, cor meum se recolligat, recedat ab omnibus evagationibus, cogitationibusq; mundi hujus, & se convertat ad quendam ardentissimum Dei amorem, & æternitatis beatæ desiderium: ut relictis rebus, & cogitationibus illis, quæ in hunc diem toties conturbaverunt animam meam, totâ diligentia inquirat, & rectè inveniat

niat

niat illud unum summè necessarium benè mori, & requiescere in amplexu SS. Virginis MARIÆ, in vulneribus JESU benedicti Filii sui, in suavissimo osculo Dei, & Domini mei, & assistentia, & præsentia tua, per cujus potentem intercessionem hanc supremam gratiam impetrare confido. Intereà verò, donec æterna dispositio Divinæ Providentiæ hanc mihi vitam conservare voluerit, rogo te Protector mi, mi amantissime, & suavissime Pater, impetra mihi à Divina Majestate, ut sic, & non aliter vivam, quàm is, qui mori debet, & qualiter vixisse optabo in hora mortis meæ, imitandò virtutes tuas, adimplendò in omnibus sanctissimam Dei voluntatem, ut mors temporalis mihi janua sit ad vitam æternam. Pariter pedibus supplex accido, rogóq; ut impetres, quod in hac Novena postulo, si sit ad majorem Dei gloriam, & bonum animæ meæ, Amen.

*Hic animandò, & quantum possibile fuerit, accendendò in se fiduciam verbis, quæ proprius affectus, & affectibus, quos ardor, & pietas suggererint, petet, & commendabit Sancto particulare beneficium, ad quod obtinendum Novenam instituit. Mox, ut S. Apostolum magis devinciat, dicet sequentem orationem, quam Sanctus ipse composuit,*

*suit, & pro gentium conversione quotidie re-  
sitavit.*                      O R A T I O.

**A**Terne DEUS, Creator omnium, re-  
cordare, quòd ipse creaveris ani-  
mas infidelium, faciendò illas ad imagi-  
nem, & similitudinem tuam. Aspice,  
Domine, quomodo in opprobrium tu-  
um illis infernus impleatur. Recordare,  
Domine, Filii tui JESU Christi, qui tam  
liberaliter profuso sanguine suo pro illis  
tam acerbè passus est. Ne permitte, Do-  
mine, ut proprius Filius tuus, & Domi-  
nus noster diutiùs ab infidelibus con-  
temnatur, sed potiùs placatus precibus,  
& orationibus Sanctorum Electorum  
tuorum, & Ecclesiæ benedictæ Sponsæ  
proprii Filii tui, memineris misericor-  
diæ tuæ, & oblitus idololatriæ, ac infide-  
litas errantium, fac, ut & illi cogno-  
scant, quem misisti JESUM Christum Fi-  
lium tuum, Dominum nostrum, qui est sa-  
lus, vita, & resurrectio nostra, per quem  
salvati, & liberati sumus, cui fit gloria  
per infinita sæculorum sæcula, Amen.

*Commemoratio de Passione D. N.*

*JESU Christi.*

*Antiph.* Christus factus est pro nobis  
obediens usq; ad mortem, mortem au-  
tem Crucis.

v. Ado.

✠. Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi.

℞. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

O R E M U S.

**D**omine Jesu Christe, qui de cœlis ad terram de sinu Patris descendisti, & sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut in die judicii ad dexteram tuam audire mereamur: Venite Benedicti. Qui vivis & regnas, &c.

*De Immaculata Conceptione*

*B. M. V.*

*Antiph.* Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

✠. In Conceptione tua Virgo Immaculata fuisti.

℞. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

O R E M U S.

**D**EUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem filii tui prævisa eam ab omni labe præservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessionem ad te pervenire concedas.

*De Sancto Xaverio.*

*Antiph.* Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

*v.* Justum deduxit Dominus per vias rectas.

*ry.* Et ostendit illi Regnum Dei.

O R E M U S.

**D**EUS, qui Indiarum Gentes Beati Francisci Xaverii prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti: concede propitius, ut, cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla.

*De Sanctis Angelis.*

*Antiph.* Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes Cœlorum, Cherubin atque Seraphin intercedite pro nobis.

*v.* Angelis suis Deus mandavit de te.

*ry.* Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

O R E M U S.

**D**EUS, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æternâ societate gaudere. Per Dominum nostrum, &c.

*Pre-*

P R E C E S

D E S S. A N G E L I S,

*Juxta ordinem dierum Novena.*

*Primâ Die.*

**D**EUS meus, & Dominus Angelo-  
rum, qui spiritus tuos mittis ad  
custodiam hominum, repræsentato tibi  
horum supernorum spirituum merita,  
& merita Servi tui S. Francisci Xaverii,  
qui propter virgineam puritatem suam  
Angelus nominari meruit, & quia tot  
ille hominum millia tuitus est, & in tot,  
ac tantis corporum, animarúmque peri-  
culis custodivit, supplex à te humillimè  
peto, concede mihi puritatem illam An-  
gelicam corporis, & animæ, quam con-  
cessisti sancto Apostolo tuo, notúmque  
beneficium, quod in hac Novena flagi-  
to ad majorem honorem, & gloriam  
tuam, Amen.

*Secundâ Die.*

**D**EUS meus, & Archangelorum Do-  
minus, quibus committis gravis-  
sima negotia, quæ gloriam tuam, & ho-  
minum utilitatem concernunt: offero  
tibi merita diligentissimorum horum  
spirituum, uti & merita magni Servi  
tui, sancti Francisci Xaverii, quem ele-

gisti in ministrum gloriæ tuæ, & cui animarum innumerabilium salutem commisisti: te suppliciter exoro, concede mihi, ut diligentissimè satisfaciam muneribus, & obligationibus meis, quas Divina, & Sanctissima Voluntas tua mihi imponere dignata est; & simul benignissimè annuere velis in gratiam, quam per hanc novenam flagito, ad majorem honorem, & gloriam tuam, Amen.

*Tertiâ Die.*

**D**EUS meus, Principatum Domine, qui per Angelos, & Archangelos illuminandò, instruendò, & imperandò curam habent salutis hominum juxta dispositionem, & placitum Divinæ voluntatis tuæ. Offero tibi merita zelantissimorum horum spirituum, & merita magni servi tui sancti Xaverii, qui non tantùm per semetipsum, sed etiam per Discipulos suos, & imitatores instruendò, docendò, demandandò illuminavit, & convertit plura regna, & provincias, atque in illis animas innumerabiles; & humillimè supplico, concede mihi zelum hujus sancti Apostoli, & annue petitioni meæ, quam per hanc novenam ad te facio, ad majorem honorem, & gloriam tuam, Amen.

*QUAR-*

*Quartâ Die.*

**D**EUS meus, & Potestatum Domi-  
nus, quæ specialem vim, ac poten-  
tiam habent refrænandi dæmones, offe-  
ro tibi merita horum potentissimorum  
spirituum, & servi tui sancti Francisci  
Xaverii, cui potestatem dedisti, & effi-  
cacious ex corporibus, & animabus eji-  
ciendi dæmonia; suppliciter obsecro, lar-  
gire mihi gratiam superandi omnes dia-  
bolicas tentationes, atq; id assequendi,  
quod in hac novena desidero, ad majo-  
rem honorem, & gloriam tuam, Amen.

*Quintâ Die.*

**D**EUS meus, & Virtutum Dominus,  
per quas operaris miracula, & su-  
premæ potentiaæ tuæ propria prodigia.  
Offero tibi merita prodigiosorū horum  
spirituum, & servi tui S. Francisci Xave-  
rii, quem novorum & stupendorum mi-  
raculorum Thaumaturgum effecisti, re-  
novandō in illo signa, & prodigia San-  
ctorum Apostolorum, ut Evangelium  
añuntiaret gentilibus, novisq; populis;  
supplico, concede mihi humilitatem,  
quâ S. Xaverius non suum, sed tuum so-  
lum honorē quærebat, & indulge, quod  
per hanc novenam quæro, ad majorem  
honorem, & gloriam tuam, Amen.



*Sextâ Die.*

**D**EUS meus, Dominationum Domi-  
 nus, quæ inferioribus spiritibus  
 præfunt, & ut magni ministri tuæ Divi-  
 næ providentiæ, se subjiciunt voluntati  
 tuæ ad omnem nutum tuum exequen-  
 dum semper promptissimè. Offero tibi  
 merita horum excellentium spirituum,  
 uti & merita S. Francisci Xaverii, qui,  
 cum plurimum esset Superior, subiciebat  
 se per obedientiam exactissimam supe-  
 rioribus suis, agnoscendô in illis Divi-  
 nam Majestatem tuam, & voluntatem  
 eorum, ac imperia exequendô prom-  
 ptissimè: Obsecro, concede mihi prom-  
 ptam, & perfectam obedientiam erga  
 omnes superiores meos, uti & id, quod  
 in hac novena flagito ad majorem ho-  
 norem, & gloriam tuam, Amen.

*Septimâ Die.*

**D**EUS meus, & Thronorum Domi-  
 nus, in quibus quiescis, tanquam  
 in throno gloriæ tuæ, sedéq; Majestatis:  
 Offero tibi merita horum altissimorum  
 spirituum, & merita S. Francisci Xave-  
 rii electi in thronum gloriæ tuæ, & vas  
 electionis, ut portaret nomen tuum co-  
 ram gentibus, qui abnegandô seipsum,  
 & res omnes mundi hujus, caduca, &  
 crea-

rii

ii

rii

rii

rii

rii

rii

rii

creata omnia ejecit ex corde suo, ut tu Deus solus id occupares: concede mihi, ut terrena despiciam omnia, & in te solo quiescat cor meum, ac me impetrasse gaudeam, quod in hac novena cupio, ad majorem gloriam, & honorem tuum, Amen.

*Octavâ Die.*

**D**EUS meus Cherubinorum Dominus, qui adornati sunt perfectissimâ sapientiâ, & intellectu. Offero tibi merita sapientissimorum horum spirituum, & magni servi tui S. Francisci Xaverii, quem instruxisti eminenti sapientiâ, eique revelasti arcana, & mystéria altissima, ut legem tuam edoceret, & erudiret multas gentes, & nationes: concede mihi, obsecro, ut sciam timere te, & tibi uni placere, quæ vera est sapientia, & ut exemplo ac verbis meis doceam alios observare mandata tua, & simul annue petitioni meæ, quam per hanc novenam institui, ad majorem gloriam, & honorem tuum, Amen.

*Nonâ Die.*

**D**EUS meus, & Seraphinorum Dominus, qui te amant amore ardentissimo. Offero tibi merita horum ardentissimorum spirituum, uti & merita

fervi tui S. Francisci Xaverii, qui tanquam humanus quidam Seraphinus se consumebat amore tui, superandō innumeros labores, ærumnas, & vitæ pericula, ut tibi soli placeret, & ut te cognoscerent, ac amarent verum, & summum bonum, qui te offendeabant, & ignorabant. Præsta mihi, ut amem te super omnia, solum Deum, bonum, & Dominum meum, & ut studeam omnes homines trahere in cognitionem, & amorem tui; atque ut indulgeas, quod in hac novena supplico, ad majorem honorem, & gloriam tuam, Amen.



## OFFICIUM

### D. Orbis Thaumaturgi Xaverii.

#### AD MATUTINUM.

✠. Amor nominis J E S U accendat præcordia nostra.   ℞. Amen.

✠. Domine, labia mea aperies.

℞. Et os meum annunciabit laudē tuam.

✠. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

**I**N flore vitæ Xavier  
Spretis honorum fascibus,

Spe.

Spebúsque stirpis Patriæ  
Ad cœli amores vertitur.

Sacri calore spiritûs  
Deo parata victima,  
Ignatianis æstuans  
Totus liquefcit ignibus.

O vita, Jesu, cordium!  
Fac, ut caduca deferens,  
Te forte, quam concesseris,  
Mea mens requirat unicum!

*Antiph.* Egredere de domo tua, & de  
cognitione tua, & de domo Patris tui,  
& veni in terram, quam monstravero  
tibi. *Genes. 12.*

*v.* Inveni filium Jesse, virum secundum  
cor meum.

*R.* Qui faciet omnes voluntates meas.  
*Actor. 10.*

OREMUS.

**D**EUS, qui Evangelium Regni tui  
per barbaras gentes, & reconditas  
nationes S. Francisci tui Xaverii prædi-  
catione seminâsti, & ejus sanctitatem  
innumeris hæctenus miraculis decorâ-  
sti; concede quæsumus, ut cujus me-  
moriam agimus, etiam virtutes imite-  
mur. Per Dominum nostrum, &c.

AD LAUDES.

Amor nominis Jesu accendat præcor-  
dia nostra.

Deus in adiutorium meum intende, &c.

*Hymnus.*

**E**Xegit omnem laudibus  
Amoribusque Numinis  
Inter secunda, & aspera  
Vitæ diem Xaverius.

Seu manè Sol assurgeret,  
Seu conderetur æquore,  
In ore Deus infederat,  
In corde Jesus vixerat.

Mea, Deus, ô felicitas!  
Fac; ut (quod olim gestio)  
Amare te perenniter,  
Dum vivo, totus ordiar!

*Antiph.* Quid mihi est in cælo, & à te  
quid volui super terram? Deus cordis  
mei, & pars mea, Deus in æternum.

*Psalms.* 72.

✠. Laudabit usque ad mortem.

✠. Anima mea Dominum. *Eccl.* 51.

*Oratio ut supra, &c.*

AD PRIMAM.

Amor nominis Jesu accendat præcor-  
dia nostra.

Deus in adiutorium, &c.

*Hymnus.*

**M**isertus orbis ultimi  
Xaverius caliginem,

Ab Occidentis finibus  
Emergit instar Cynthii.

DEUM ferebat pectore,  
Feris docendum gentibus,  
Apostolus deperditæ  
Iterum futurus Indiæ,

JESU salus mortalium!  
Ita fac amare proximum,  
Ut ab hoc amore curia  
Adaugeatur cœlitum!

*Antiph.* Ite Angeli veloces ad gentem  
expectantem, & conculcatam, cujus di-  
ripuerunt flumina terram. *Isaiæ 18.*

*ÿ.* Dedi te in lucem gentium.

*R.* Ut sis salus mea usque ad extremum  
terræ. *Isaiæ 49.*

*Oratio ut supra, &c.*

AD TERTIAM.

Amor nominis Jesu accendat præcor-  
dia nostra.

Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

**M**iraculorum gloriâ  
Apostolatûs infulis,  
Et gentium præconiis  
Ubique magnus Xavier.

Suô tamen suffragiô  
Postremus unus omnium,

Cujus-

Cujuslibet solatiis  
Se dedicat Xaverius.

O qui superba conteris,  
JESU humilium sublimitas!  
Tuo ex amore despici  
Fac, ut frequenter expetam!

*Antiph.* Ante Dominum, qui elegit  
me, vilior fiam, plus quam factus sum,  
& ero humilis in oculis meis, & glorio-  
sior apparebo. 2. Reg. 6.

Ꝙ. Omnibus omnia factus sum.

ꝙ. Ut omnes facerem salvos. 1. Corinth. 9.

*Oratio ut supra, &c.*

A D S E X T A M.

Amor nominis JESU accendat præcor-  
dia nostra.

Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

**O** Virginem Xaverium!  
Et sanguinis caloribus,  
Erroribusque gentium,  
Et somniis superstitem!

Hinc castitas post funera,  
Vetuit malam putredinem,  
Intacta semper ipsana  
Xaverii contingere.

O Diva, JESU, puritas!  
O Matre nata Virgine!

Da,

Da, labe sine, me consequi,  
Quà ductor Agnus iveris.

*Antiph.* O quàm pulchra est casta generatio cum claritate; quoniam apud Deum nota est, & apud homines. *Sap. 4.*  
✠. Hi sequuntur Agnum, quocunq; ierit.  
✠. Sine macula enim sunt ante thronum Dei. *Apoc. 14.*

*Oratio ut supra, &c.*

AD NONAM.

Amor nominis JESU accendat præcordia nostra.

Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

**V**Astæ remotas Indiæ  
Plagas obit Xaverius:  
Lojola sed vel literâ  
Si jufferis, revertitur,  
Nec sol, ut ut promptissimus,  
Vel stare, vel recurrere  
Volente jussus Numine,  
Talis resorbet orbitam.

Exordientem Nominis  
Agnosco Jesu literam:  
Opto per hanc cum legibus  
Dei placita decurrere!

*Antiph.* Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ,



tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Prov. 1.*

℣. In capite libri scriptum est de me.

℞. Ut facerem voluntatem tuam Deus meus. *Psal. 39.*

*Oratio ut supra, &c.*

AD VESPERAS.

Amor nominis Jesu accendat præcordia nostra.

Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

**C**Ecidêre monstra Tartari,  
Idola pulsa gentium,  
Fide Instituti Japones,  
Chinæ reclusa littora.

Vicena quin & funera  
Et quinque vitæ reddita,  
Pulsis tot orbe pestibus  
Francisce! Numen evocas.

Jesu laborum præmium,  
Mercede major maximâ:  
Conando quidquid gesserô:  
Te, te in coronam postulo.

*Antiph.* Cum ipso sum in tribulatione,  
eripiam eum, & glorificabo eum:  
longitudine dierum replebo eum, &  
ostendam illi salutare meum. *Psal. 90.*

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℞. Nimis confortatus est principatus eorum. *Psal. 138.*

*Oratio ut supra, &c.*

AD

AD COMPLETORIUM.

Amor nominis Jesu accendat præcordia nostra.

☩. Convertete nos Deus salutaris noster.

☩. Et averte iram tuam à nobis.

Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

**F**rancisce jam cœlestium  
Divis recepte sedibus,  
Dignare te colentium  
Piis adesse mentibus.

Omnem per orbem gloriæ  
Tuæ eriguntur symbola,  
Per te impetratæ gratiæ  
Ubique stant insignia.

Eous, & Septentrio,  
Meridies, & Occidens,  
Et iste, & ille plurimis  
Tibi calet clientibus.

O perditorum temporum  
Francisce spes amplissima,  
Orbis Pater novissimi,  
Patrone, lux, Apostole.

Salve! tuoque lumine  
Tuos ferena supplices:  
Fac, mundus omnis ardeat  
Divini amoris Numine.

Fides ut una gentium  
Fines inundet omnium:

Ut una pax cœlestium  
Cor jungat, & terrestrium.

*Antiph.* Hic est fratrum amator, & populi Israël, qui multum orat pro populo, & universa sancta Civitate. *Mach. 2. cap. 15.*

*V.* Ora pro nobis S. Francisce Xaveri.  
*R.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Orat. ut supra, &c.*

LITANIÆ  
DE  
S. FRANCISCO  
XAVERIO.

*Ex Oraculis Summorum Pontificum.*

**K**Yrie eleison, Christe eleison,  
Kyrie eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

S. Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

S. MARIA, sine labe concepta Virgo, ora pro nobis.

Omnes novem SS. Angelorum chori,  
orate pro nobis.

S. Fran.

- S. Franciscæ Xaveri,  
 S. Xaveri, Apostolicæ S. Romanæ  
 sedis Nuntie (a)  
 S. Xaveri, multis, & eximiis virtu-  
 tum, gratiarum, & miraculorum  
 donis à Domino illustrate (b)  
 S. Xaveri, Vir cœlitibus magis si-  
 milis, quàm mortalibus (c)  
 S. Xaveri, Christiani Imperii Propu-  
 gnator (d)  
 S. Xaveri, qui nihil minùs à magnis  
 fecisti Apostolis (e)  
 S. Xaveri, qui plures submisisti Ec-  
 clesiæ, quàm suo Romani, Græciq;  
 subdiderint Imperio (f)  
 S. Xaveri, cujus ingenti animo an-  
 gustus orbis terrarum fuit (g)  
 S. Xaveri, novarum gentiũ Aposto-  
 lus, unanimi totius Christiani or-  
 bis consensu meritò appellate (h)  
 S. Xaveri, sanctitatis, & meritorum  
 splendore præcipuè emicans (i)  
 S. Xaveri, qui pro animarum salu-  
 te innumeros, maximósque la-  
 bores, atque æumnas perpeffus,  
 ingentia terrâ, marique pericula  
 subivisti (k)

Ora pro nobis.

S. Xa-

(a) Paulus III. an. 1540. (b) Paulus V. an. 1619.  
 (c) Greg. XV. (d) Idem. (e) Idem. (f) Idem 1622.  
 (g) Greg. XV. 1622. (h) Urban. III. (i) Idem. (k) Idem.

- S. Xaveri, quem Deus adeò magnificavit, ut nomen tuum honorabile sit apud omnes gentes (l)
- S. Xaveri, verè Sancte, & Electe DEI (m)
- S. Xaveri, mortuorum suscitatione, & Prophetiæ gratiâ toto orbe conspicue (n)
- S. Xaveri, gravissimis pro Fide Catholica laboribus consummate (o)
- S. Xaveri, propriâ tuâmet testificatione mirificè in cœlo potens,
- S. Xaveri, dilectissime Pater, Opitulatur, & Consolator animæ,

Ora pro nobis.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
Parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
Exaudi nos Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,  
Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.  
*Pater noster, &c.*

*Antiph.* Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

v. Ju-

(l) *Idem.* (m) *Idem* anno 1623. (n) *Alex. VII.* anno 1663. *ex Mart. Rom.* (o) *Ibidem.*

✠. Justum deduxit Dominus per vias  
rectas.

✠. Et ostendit illi Regnum Dei.

O R E M U S.

**D**EUS, qui Indiarum gentes beati  
Francisci prædicatione, & miracu-  
lis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti: con-  
cede propitius, ut, cujus gloriosa meri-  
ta veneramur, virtutum quoque imite-  
mur exempla. Per Dominum nostrum  
JESUM Christum, &c.

*Affectus Xaveriani Amoris.*

**A**Mo Deum ! sed liberè,  
Amo ! sed hoc amore,  
Quem corde novit scribere,  
Qui dignus est amore.

Amo ! sed hæc incendia  
Vos astra non paratis :  
Non appetit stipendia,  
Qui vult amare gratis.

Non urget in cœlestibus  
Me spes beatæ fortis ;  
Nec his adurit æstibus  
Æterna pœna mortis.

Amor coemptus nullus est,  
Amabo nil petendô,  
Amor coactus nullus est :  
Amabo nil timendô.

Tu mi Redemptor ! horridos  
Enecte per dolores,  
Tu cor mihi tam torridos  
Resolvis in calores.

CruX, probra, clavi, tubera,  
Tot flagra , tot cruores,  
In corde sicut ubera,  
Tot nutriunt amores.

Istis amoris ignibus  
Mens tota concalescit,  
Dum mortis ex insignibus  
Te cognitum stupefcit.

Extingue cœli lumina :  
Adhuc , adhuc amabo,  
Extingue Ditis flumina :  
Adhuc , adhuc amabo.

Spes nulla fit , si diligam :  
Adhuc , adhuc amabo.  
Styx nulla , si non diligam :  
Adhuc , adhuc amabo.

Nîl das ? adhuc amaberis,  
Spes nulla me titillat,  
Damnas ! adhuc amaberis,  
Nec sic amor vacillat.

Ruente cœli lumine,  
Orcóque deflagrante,  
Manente solo Numine,  
Amabo , sicut antè.



# CONSIDERATIONES

ET

EXAMINA,

*Tempori Adventûs & Novendialis  
devotioni accommodata.*

PRIMA DIES.

**S**Acri Vates, spiritu adventum Filii Dei in carne considerantes, prorumpabant in voces plenas lætitiâ. (a) *Exulta, clamabant, fatis filia Sion, júbila filia Hierusalem. Ecce Rex tuus venit tibi Justus, & Salvator.* Cur igitur sancta Mater Ecclēsia, adventum hunc magni Dei celebrans, nulla edit signa lætitiæ? sed habitu doloris, ac pœnitentiæ horrida, intermissis canticis laudis, & hymnis exultationis, ferali tuba Judicium finale intonat, oculisque signa subjicit, magnæ illius diei in genus humanum sententiam præcessura. Sapientissimè; nam quemadmodum Medici peritia minimè dignoscitur, cum morbi gravitas ignoratur, ita remedium non æstimatur, quod cœlestis Medicus Christus ægrotanti humano generi, & pestifera lue ob scelus Protoparentum nostrorum, infecto applicuit, ut de illo canit Ecclesia: *Qui propter nos homines, & propter*

(a) *Zach. 9.*



*nostram salutem descendit de cœlis, & INCARNATUS EST de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus est.* Nisi prius reos nos agnoscentes, aperiamus scelerum, deploremus iniquitates, & pœnitentiæ lacrymis culparum maculas diluamus. Nisi inquam prius omnes nostras potentias, ad Regem æternum adorandum invitemus dicentes cum Ecclesia: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Idcirco necessarium fore arbitror, ut primis tribus hujus novenæ diebus animas nostras nonnullis disponamus viæ Purgativæ Meditationibus, speciatim verò perpendentes non tam adventum Christi Judicis, die illâ tremendâ Judicii universalis, quàm particularis in morte cujuscunque.

### CONSIDERATIO I.

*De adventu Christi Judicis in universali judicio, ac simul in hora mortis.*

**P**unctum primum. Ad concipiendum majorem timorem ex signis præcedentibus judicium universale, juvabit perpendere, hæc omnia quodammodo præcessura mortis tempore in judicio particulari. Nam si ante judicium universale Sol, Luna, & Stellæ obscurabun-

buntur ; videbis & tu, ô Christiane ! imminetibus extremi agonis angustiis, eclipsari omne lumen tui corporis, & nisi divinæ misericordiæ lux tibi affulserit, eheu ! quantas experieris tenebras ! quanta tunc erit in anima confusio ! quanta salutis perplexitas ! quàm gravia de remissione criminum dubia ! qui morsus conscientiæ ! ob neglectas mille occasiones, quibus æternum Judicem in vita placare licuisset. Quis demum te tunc horror concutiet ! quæ formido invadet, ubi vicinum adesse Judicium particulare adverteris, & momentum, à quo pendet æternitas, anxius & tremebundus expectabis ? Ergo concludere, si sapias, tibi nunc, dum animo vales & corpore, rationum tuarum momenta cum severissimo illo Judice esse stabilienda ; nunc animam perniciosis illis affectibus liberandam, qui modò in Divino obsequio currentem impediunt, & olim in morte horribiles confusionis tenebras inducent.

Punctum secundum. Considera tormentum maximum futurum illud mortalibus, tam in extremo illo universalis Judicii die, quàm in quocunq; particulari judicandis, quando nimirum arcantum conscientiæ codicem aperiri vi-

debunt, & dicta, facta, ac cogitata omnia palam fieri ab illo, qui scrutatur *Hierusalem in lucernis*, de quo Psalter Regius canit: (a) *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & seculum in illuminatione vultus tui.* Et si nunc, ut ait Jeremias: (b) *Pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud!* tunc profectò erit in oculis Christi supremi Judicis, *quasi mare vitreum simile crystallo.* Tunc, inquam, non solùm gravium culparum montes, sed etiam levissimarũ imperfectionum atomi videnti omnia, pandentur. Ideo nunc tempus habes, ô homo! scrutandi abscondita animæ tuæ, nunc modum stabiliendi calculos rationum tuarum, ne erubescas in die illa, quâ dicetur tibi: (c) *Redde rationem villicationis tuæ.* Aut ne ejiciaris: (d) *in tenebras exteriores,* ferens tecum sententiam æternæ damnationis.

Punctum tertium. Respice, ô homo! admirabilem vitam S. Francisci Xaverii, in qua velut in speculo pœnitentiæ videbis clarissimè, quâ diligentia, & curâ te animæ tuæ rationes cum Deo oporteat stabilire. Quàm primùm enim Magno huic Sancto radius æternæ veritatis

(a) *Psal. 89.* (b) *Jerem. 17.* (c) *Luc. 16.*  
 (d) *Matth. 22.*

tatis ex Divi Ignatii consortio, familiaritatéq; illuxit, dum unà Parisiis studiis operam darent, summo animi ardore propriæ conscientiæ nævos excutere fastagebat; ex quo capite id illi in primis spiritualibus exercitiis solenne accidebat, ut in conspectu Dei oraturus non confisteret, antequam sibi manus, pedésq; veluti reus ab æterno Judice veniã deprecens, arctissimis vinculis constrinxisset. Hunc autem morem arcana cordis in die sæpius discutiendi, dum vixit, omisit nunquam; & ut evigilaverat, modum defectus suos corrigendi sollicitus disquirebat. Erubescite igitur, te hac in re Magno huic Sancto esse aded dissimilem; & posthac majori studio, conatúque huic tam utili mentis discutiendæ exercitationi insiste, quò die illã tremendã sine formidine ante cœlestis Judicis tribunal consistere, & æternæ mortis sententiam valeas evitare; Illud Apostoli assidudò recogitans: (a) *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; judicamur.* Et ut veram erratorum tuorum notitiam, emendationémque impetres, recurre ad Magnum hunc Indiarum Apostolum, sicque interpella.

O gloriosissime Xaveri! qui inter cætera

G 2

(a) 2. ad Corinth. II.

tera divinæ in te liberalitatis dona, dum in terris ageres, gratiam illam mirabilem accepisti, ut secreta humanorum cordium penetrares, & conscientiarum maculas peccatoribus mirabiliter detegeres, quò eas salutaribus pœnitentiæ lacrymis diluerent. Exaudi propitius te invocantem, & æternæ lucis radium à fonte luminum, quo nunc in cœlo beatus frueris, impetra, ut & peccatorum meorum turpitudinem cognoscere, & seriam vitæ consequi valeam emendationem; impetra, inquam, Patrone mi dulcissime, ut obtentâ hîc peccatorum veniâ ante tribunal æterni Judicis, sine damnationis metu audeam consistere, & electorum aggregatus confortio illas voces lætus excipere merear: (a) *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi, Amen.*

E X A M E N.

I. Quandoquidem æternus Judex: (b) *Scrutabitur Jerusalem in lucernis*, non solum reproborum conscientias, verum etiam electorum cœlestis Jerusalem civium minimos imperfectionum nævos in vita spiritûs, perfectionisq; bona opera strictissimè ponderabit juxta illud:

(a) *Curr*

(a) *Matth. 15.* (b) *Soph. 6. 1.*

(a) *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Disce, ô Christiane ! quàm frequentissimè conscientiaë tuæ arcana, tam generali, quàm particulari examine ponderare, ne in hora mortis minùs habens inveniaris.

2. Inspice, lustra, disquire abditissimos animæ tuæ recessus; qui affectus, quæ desideria, inclinationésque potissimum te in via spiritûs impediunt: quâ intentione tua dirigantur opera; num soli Deo placere, an verò tibi laudem, ac humanam gloriam studeas comparare.

3. Examina, quibus mens tua cogitationibus occupetur: an non fortasse sint otiosæ, vanæ, vagabundæ, curiosæ, superbæ, gulosæ, invidæ, odiosæ, suspiciosæ, temerariæ, pusillanimes, & scrupulosæ; id semper conando exequi, quod Deus imperat per Prophetam: (b) *Auferte malum cogitationum vestrarum.*

4. Disce frænare linguam, ut in virtute, perfectionéq; proficias, quoniam, ut ait S. Jacobus Apostolus: (c) *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est.* Vide, an verba tua sint otiosa, vana, inconsiderata, temeraria, exaggerativa, elata, superba, punctoria, irreverentia, iracunda, susurratoria, detractoria, injuriosa, blas-

(a) *Psal. 74.* (b) *Isa. c. 1.* (c) *Jac. 3. v. 2.*

blasphema, impudica, mendacia, & simulata, adulatoria, contentiosa, derisoria, amara, jactatoria, sæcularia, fraudulenta & omnésque linguæ defectus vitare studendo, dic cum Regio Psalte: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.*

5. Demum actiones tuas inspice, quâ diligentia, quâ applicatione, intentioneque fiant; an non ob tuum comòdum potiùs, quàm Dei gloriam, tuæque animæ salutem opereris. Speciatim verò pondera, an non in operando sis odiosus, vanus, inordinatus, negligens, inobediens, acediosus, indiscretus, hypocrita, temerarius, immundus, fraudulentus, & malignus: & postremò perpende, quot omissiões tam in rebus officii tui, quàm interna cultura animæ tuæ indies committas.

## DIES SECUNDA.

### CONSIDERATIO II.

*De damnis peccati Originalis,  
& Actualis.*

**P**unctum primum. Ut Redemptionis beneficium pro dignitate æstimes, perpende horribiles strages per Protoparentum nostrorum peccatum mun-

mundo illatas. Primò, ejecti sunt ex Paradiso voluptatis, & per peccatum sibi, suisque posteris spatium 5199. annorum cœli januas occluserunt, donec pretiosissimo Filii DEI sanguine recluderentur; ut est in Apocalypsi: (a) *Redemisti nos sanguine tuo.* Secundò, per peccatum spoliati sunt justitiâ originali, divinâ gratiâ, facti mancipia diaboli, & præda mortis. Tertio, innumeris miseriis tam spiritualibus, quàm corporalibus sunt subjecti, imprimis fomiti peccati, ut creatori suo rebelles fierent, facti mancipia propriæ concupiscentiæ, & inordinatarum passionum. Bella, pestes, fames, morbi, grandines, tempestates, & demum omnes humanæ miseriæ, sicuti è fonte perenni rivuli, profluunt ex peccato originali. Considera, quot milliones animarum æternâ beatitudine privaverit unicum peccatum inobedientiæ contra Dei mandatum; & erubescere, quòd post tot tua scelera, & divinæ legis transgressiones, furorem iræ Dei non sis expertus, ut habens tempus redeundi ad cor, seriam pœnitentiam inchoares. Detestare modò, contritione vera, & intenso dolore cordis omnes tuas misérias spirituales, deplo-

(a) *Apocal. c. 5.*



rans statum animæ tuæ infelicissimum, & statuens seriam, & constantem emendationem veteris vitæ, cupiensq; perfectissimè Christum diligere, eiq; ex toto corde servire, imprime cordi tuo auream illam D. Augustini sententiam, qui ait, illum, qui non diligit Deum ob creationis beneficium, mereri unum infernum; eum verò mereri mille infernos, qui non diligit ob beneficium Redemptionis. Nam, ut scribit S. Ambrosius: *Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.*

Punctum secundum. Considera infelicem animam per quodcunq; peccatum mortale actuale in easdem labi calamitates. Nam post peccatum, è Paradiso illo veræ voluptatis, quæ pax est, & tranquillitas bonæ conscientiæ, infelix ejicitur, divinæ gratiæ stolâ spoliatur, cœli portæ eidem obferantur, mille incurrit miserias, cùm peccator servus sit, ac mancipium dæmonum sub concupiscentiarum suarum, ac passionum rebellium jugo vitam trahens infelicissimam; nam quid illo Apostoli dicto verius: *Qui facit peccatum, servus est peccati?* Perpende, quòd, quemadmodum tonitrua, fulmina, quæ de cœlo terram concutiunt, ex malignis vaporibus

bus generantur ; ita divinæ justitiæ fulmina, pestis, fames, bellum, grandines, tempestates, incendia, strages, interitus, exterminia ex malignis peccatorum vaporibus coagulata, irati DEI manu in mundum detorqueantur. Considera, animam sine DEI gratia esse cadaver foetidum, palmitem è vite recisum solis flammis idoneum, ut ait Augustinus: (a) *Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit.* Cognosce tandem veritatem illam infalibilem, quæ docet, in vita nihil peccato mortali esse infelicius, quod animam à Deo, sine suo, ac centro quietissimo avellit; dicésq; cum resipiscente illo prodigo: (b) *Pater! peccavi in cælum coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.*

Punctum tertium. Respice, & obstupesce in vita admirabili S. Francisci Xaverii, veluti in lucidissimo speculo vivam imaginem Adami in statu innocentiae, qui semper cum rectissima voluntate operandi, perfectum non solum in elementa, ac feras obsequentes dominium, verum in passiones proprias, animique motus possidebat. Recognosce in illo lilio, quod illius in icone, gestat

G 5

dex.

(a) *Tract. 81. in Joan.* (b) *Luc. 15.*

dextera, Angelicam mentis, & corporis puritatem, non solum in religioso statu intactam, illibatamque, dum in Indiis inter profligatissimos Christianos, impurissimos Saracenos, imundissimos Gentiles, quibuscum agebat, ut eos Christo lucrifaceret, versaretur, ita ut jure de S. Xaverio dici possit, quod D. Ambrosius de castissimo Josepho predicabat: *Quem Ægyptus non decoloravit.* Verum quod magis admirandum est, dum adhuc secularis Parisiis, velut liliū inter spinas ageret, nullo unquam nævo maculari permisisse, quod sanè mirum in juvene locuplete, nobili, sanguineo, formæ non inelegantis, & mira morum suavitate prædito accidebat.

Verum non existimabat sufficere, ut in se imaginem primi hominis in statu innocentiae exprimeret fugiendo (a) *tanquam à facie colubri*, vel levissimorum peccatorum umbras; sed voluit pariter in se exprimere typum Christi, secundi Adam, non solum propria sua dexterâ plus duodecies centenis millibus mortalium, æternæ salutis fontem impertiendo; eosque in sanguine Agni dealbando, inter quos erant Reges nonnulli potentes, ut meritò cum Paulo posset

(a) *Ad Philip. c. 4.*

posset exultare : *Gaudium meum , corona mea* ; verum etiam innumera peccatorum actualium vincula, quibus infiniti propemodum impii Christiani tenebantur, suis Apostolicis laboribus dissolvendo, eosq; in libertatem Filiorum Dei, ex propriarum passionum servitute, hostisque infernalis tyrannide restituendo. Vides igitur, quam cautela, circumspectioneq; tibi cum peccatoribus sit agendum, ne veneno peccati mortifero infelix tua anima contaminetur : Et disce à magno Indiarum Apostolo Methodum animas ex peccati servitute extrahendi. Ut quoque facilius sincerum omnis peccati odium obtineas, recurre ad potentem ejusdem magni Sancti intercessionem dicendo :

O gloriosissime Xaveri ! qui post primum divinæ lucis radium cooperante Sancto tuo Patriarcha Ignatio, divinitus tibi infusum, veritatem illius Jesu Christi dicti perfectè intellexisti : (a) *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anime suæ detrimentum patiatur ? & antequam naufragium inter deliciarum sensualium scopulos faceres, in securum portum, virginalis tuæ innocentiae navigium perduxisti, sanctissimæq;*

(a) *Matth. 16.*

nominis Jesu militiæ adscriptus, infinitas animas per univèrsum orbem zelo tuo Apostolico à peccatorum servitute liberaſti. Impetra mihi cœlitus non solum sincerum peccatorum meorum dolorem, veràmque contritionem, sed lumen etiam, quo Myſterium Incarnationis penetrem, & voluntatem perfectam, quâ veterem hominem exuere, novùmque per Christum induere valeam, ut illud Apostoli Pauli oraculum de me verificetur, sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, Amen.

E X A M E N.

1. Vide, quo affectu gratitudinis respondeas Redemptori tuo, qui suo pretiosissimo sanguine animam tuam, ab originali labe in sacro Baptismatis fonte abluit.

2. Respice, & perpende motus internos animæ tuæ, an Christi legibus, Evangelicisq; regulis sint conformes, an verò potiùs politicæ mundanæ principiis innitens, veteris hominis instinctu, inclinationibusq; perversis movearis.

3. Vide, & considera, quot damna animæ tuæ ingruant, ex illo languore, tepiditatèq; spiritûs, ex qua provenit, ne culparum gravitatem sentias, quibus  
Dei

Dei iram provocasti, & imitari stude illum qui dicebat : (a) *Tabescere me fecit zelus meus , quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

4. Defle cæcitatem animæ tuæ , in quærenda potiùs salute corporis, quàm mentis. Stude seriæ tuorum defectuum emendationi , dicens cum eodem Psalmista, dum vulnera conscientie Sacerdoti aperis, & divino epulo reficeris: *Sana me Domine , & sanabor.*

5. Expende verba , & congressus familiares cum proximis. An utiles sint, & proficui, an eos, quibuscum agis , ad virtutem, ad amorem , & timorem Dei promoveas, an verò de rebus inutilibus, nihil ad vitam æternam conducentibus tractare soleas.

## T E R T I A   D I E S.

### C O N S I D E R A T I O   I I I.

#### *De fructibus Pœnitentiæ.*

**P**unctum primum. Considera, quòd, quemadmodum naufragis in alto periclitantibus , nihil supersit præter naufragii tabulas , ne mergantur ; ita illis, qui miserabile peccati naufragium incurrun, non superesse aliud , quàm veram,

(a) *Psal. 118.*

ram, ac humilem pœnitentiam, quam Theologi secundam post naufragium tabulam appellant, ne miserabilis naufragus, velut Judas in desperationis pelago demergatur. Et supposito peccato, pœnitentia ad æternam salutem necessaria est, & necessitate medii, & necessitate præcepti. Quocirca, ut corda nostra ad triplicem adventum, cujus D. Bernardus meminit, disponamus: *Videlicet ad homines, in homines, & contra homines*: repræsentatur nobis ab Ecclesia Præcursor Christi: (a) *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Imò ipse Redemptor noster à pœnitentia sermones suos inchoavit: (b) *Facite fructus dignos pœnitentiæ, quoniam appropinquavit Regnum Cœlorum*. Inspice, quid sentias de gravissimis offensis, quibus Deum irritasti; quòdque tam parum de peccatis tuis doleas, erubescere; seriàmque emendationem proponendo dices cum pœnitente Propheta: (c) *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. & peccatum meum contra me est semper*. Et ideo, ô misericordissime Redemptor! miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam.

Punctum secundum. Quinque sunt fru-

(a) *Luc. 3.* (b) *Luc. 3.* (c) *Psal. 50.*

fructus pœnitentiæ. Primus, est dolor quidam habitualis, seu talis animi dispositio, ex qua sequitur immediatè detestatio peccati, quàmprimùm illud nobis repræsentatur, sive nostrum sit, sive alienum, sive id legatur, sive audiat, quemadmodum D. Petrus ad galli cantum suavissimis lacrymis diffuebat. Secundus, in afflictione corporis consistit, ut jejuniis, aliisque mortificationibus subigatur; item, interna, ac perfecta in omnibus abnegatione animæ, eam continuò virtutibus exornando, quæ vitiis, quibus infecta fuerat, sunt contrariæ. Tertius est, sincera sui vilipensio, & ab aliis contemni desiderium. Quartus est, morum suavitas, docilitasque sincera, ut iis, qui nos regunt obtemperemus, quemadmodum D. Paulus, qui ante conversionem *Spirans minarum, & cædis*, ut lupus rapax, & leo rugiens sæviebat, postmodum velut agnus mansuefactus dicebat: *Domine, quid me vis facere?* seq; totaliter Ananiæ regendum permittebat. Quintus est, Sanctus animarum zelus, ardensq; honoris divini desiderium, ad compensandas offensas, ignominiásque divinæ Majestati per peccata illatas, procurando ut Deus ab omnibus cognoscatur, ame-



ametur, & glorificetur, dicendo cum Psalmista: (a) *Docebo iniquos vias tuas.*

Punctum tertium. Considera, qualiter S. Franciscus Xaverius quinque hocce fructus, ex quinque sacratissimis Salvatoris nostri vulneribus collegerit. Et imprimis pondera continuam afflictionem, quâ cor ejus tangebatur ob culpas etiam alienas, unde continuis manabat lacrymis ob scelera, quæ ab aliis committi audiebat. Secundò obstupesce, continuas, asperrimâsq; illius in omni loco, & tempore pœnitentias: Ad plectendam in se, nescio quam inno-centem corporis elegantiam, motumq; civilem, aded rigidè, ac severè retortis, nodosîsq; funiculis sacra membra con-strinxerat, ut ni cœlitus adjutus fuisset, ut funiculi, qui jam ad nervos, & ossa penetraverant, miraculosè disrumpe-rentur, actum fuisset de illius vita. Il-lius jejunia in tertium, quartum, aut etiam septimum diem producebantur. Cibum ejus erat modicum orizæ cum aqua: lectus in mari funes nautici, in terra stratum funibus contextum, aut nuda humus. Tertid mirare, quàm hu-militer, abjectèque de se Magnus hic O-rientis Apostolus senserit. Quæsitus à quodam suo familiari, quînâ mor-tuum

(a) *Psal. 50.*

tuum suscitasset in Promontorio Comorinensi, respondit: Egone mortuos ad vitam revocem? & tu de tali, tantoque peccatore, qualis ego sum, hoc credis? Quarto, habuit specialem fructum sibi à natura inditæ affabilitatis, quam mirum in modum gratia divina exornabat. Ad omnem enim nutum S. Ignatii fuit promptissimus, quo jubente, ut sese ad iter Indicum loco Nicolai Bobadillæ ægrotantis accingeret, dixit fiducialiter cum Propheta: *Ecce ego; mitte me.* Quinto, ex Christi cruce fructum maturum ardentissimi zeli animarum collegerat, fervensq; desiderium divinæ gloriæ, non in Europa solùm, sed in extremis orbis partibus dilatandæ; quoniam quidquid in se virium, Apostolicisq; spiritus, & vigoris habebat, id totum extirpando Idolorum cultui, disseminandæ fidei, juvandis animabus, solique Dei gloriæ propagandæ, constantissimè consecrabat.

Econtra examina, quantopere dissipant palato Christi tuæ pœnitentiæ fructus: & conscende cum gloriosissimo Apostolo crucem Domini, ut inde colligas fructus dignos pœnitentiæ dicens cum Sponsa: (a) *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Utque pœnitent-

(a) *Cant. 7.*

nitentiæ fructibus frui valeas , recurre ad magnū Indiarum Apostolum dicens :

O speculum pœnitentiæ Xaveri ! ô Idea Operariorum Christi ! qui , ut te ipsum fortissimè vinceret , ulcus fœtidissimum , sanie horridum , putredine repletum ad Seraphicam Virginem Catharinam Senensem imitandam , tanquam nectar , & ambrosiam exsuxisti ; quique hoc opus heroicum sæpius tui victor iterasti ; esto mihi propitius , impetra , ut me perfectè in omnibus contemnere , & gloriosam de me ipso victoriam valeam reportare. Utq; gustato in hac vita pœnitentiæ , & Crucis Jesu Christi fructu dignus æternæ gloriæ fructibus efficiar , illudq; de me divinum oraculum verificetur : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ , Amen.*

E X A M E N.

1. Disquire , an fructus pœnitentiæ sint in te maturi , & perfecti , an verò acerbi , & insipidi : illudq; imprimis seriò recogita , an sit in te habitualis dolor de peccatis , & an offensas Dei promptè , ac seriò abhorreas.

2. An carni tuæ , deliciis , ac voluptatibus blandiaris , an verò domes corpus jejuniis , ac asperitatibus , aut è contrarium studeas iis virtutibus animum ex-

ornare, quæ vitiis, quibus antea deformaveras, opponuntur.

3. Quid de te ipso sentias? abjectione, & viles (ut decet) de te conceptus haberi desideres, an verò sublimes, & honorificos. Et confundere, quòd, cum semper plurima in te, unde humiliaris, invenias, ad honorifica tamen indefinenter aspiras.

4. Inspice naturam tuam: an facilis sis, ut à majoribus dirigaris; an affabilis cum æqualibus; an verò asper, & contentiosus. Hinc disce cum Apostolo, quantum status, & ratio cujusq; exigat, *omnibus omnia fieri*, ut omnes Christo lucrifacias.

5. Pondera, quis in te zelus animarum, amorisq; divini vigeat? quis in te tepor, ac remissio? quis in propria, proximorumq; salute neglectus? Demum illud D. Jacobi cordi tuo altiùs imprime: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus, & operiet multitudinem peccatorum.*

## QUARTA DIES.

Quemadmodum dissolutis nebulis, amœna surgit lucis serenitas; ita expulsis peccatorum tenebris in vitæ purgativæ triduo, cui adventus æterni  
Judi-

Judicis *contra homines* competit, ut illud D. Pauli Apostoli plenè exequantur, quò primâ Dominicâ Adventûs sancta Mater Ecclesia fideles admonet : *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, necesse erit sequenti triduo viæ illuminativæ, quod Adventui, *DEI in homines*, per gratiam nascentis Christi in cordibus nostris correspondet, animas quàm diligentissimè disponere ad hospité hunc divinum spiritualiter excipiendum, Matrem Dei Virginem purissimam in hoc imitando, quæ teste Augustino magis placuit Deo, concipiendo Verbum : *Mente, quàm Corpore.*

### CONSIDERATIO IV.

*De dispositione animæ ad recipiendum spiritualiter, & per gratiam Christum in corde.*

**P**unctum primum. Factâ reflexione ad illud Apocalypsis : (a) *Ecce sto ad ostium, & pulso : si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum.* Perpende temeritatem, ac ingratitude vilis, ac abjecti subditi; imò rebellis, ac perfidi proditoris, qui adveniente ad domum suam Rege, nullo alio fine, quàm illi gratificandi, gratiâsque suas

(a) *Cap. 3.* libe-

liberalissimè communicandi, fugit turpiter, aut clausis inhumaniter januis domi delitescit. Ex hoc concludes multò majorem esse inhumanitatem, ac ingratitude[m] animæ Christianæ, quæ divinæ Majestatis rea, perfida, ac rebellis; Regis tamen æterni gratiâ prævenitur, & dulcissimè in domo cordis invisitur, quo donis cœlestibus à supremo Rege, Creatore, ac Redemptore suo amantissimo valeat locupletari; illa verò ad hæc omnia obfurdescit, clausoque ostio cordis, & in amoris proprii, commoditatumque lectulo delitescens secum loquitur: *Ego exspoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* Quapropter in nocte propriæ voluntatis sine Christi lumine incedens *in custodes civitatis*, hoc est, tenebriones diabolicos, passionésque proprias inordinatas incidit, à quibus vulnerata mortaliter, stolâ innocentiae spoliatur. Vide, quanta sæpè calamitas, & ruina ex eo proveniat, quòd ad internas divinæ inspirationis voces surdi, gratiæ Dei minimè cooperemur. Stude igitur quamprimùm cordis tui ostium pulsanti Christo aperire, eum devotissimè cum Sponsa invitans: (a) *Veniat dilectus meus in hortum suum.*

Punctum secundum. Econtra confidera

(a) *Cant. 5.*

dera

dera innumeras gratias, & favores cœlicos, quibus cumulatur anima, quæ pulsanti divino sponso sine mora, cordis pandit ostium, & mensam præparat hospiti dulcissimo. Cibus enim ejus est panis pœnitentiæ, & potus ejus lacrymæ doloris; nam quid magis animam fatiare potest? quàm peccatorum venia, quid magis recreare? quàm divina cœlestis sponsi præsentia, ex qua omnis favor, omnis dulcedo, omnis gratia largissimè emanant, adeò ut plena inde, ac perfecta animæ satietas, imò nova quædam vita, quam cor capere non sufficit, consequatur. Eò vires tuas omnes impende, ut impedimenta removeas, quæ cœlestis hujus hospitis adventum possent retardare: amorem imprimis creaturarum omnium tollendo: Nullum enim patitur corrivalem, sed solus vult ex toto amari. Ad hæc deplora teporem tuum, ac negligentiam in exequendis illis, quæ tibi toties divinitus in cor immittuntur, & desideria viva excita Christum in corde tuo permanenter detinendi, qui, cùm sit: (a) *Desideratus cunctis gentibus*, non venit, nisi ad eos, qui cum sancta Ecclesia devotè invitant, dicentes: *Veni, veni Domine, & noli tardare.*

(a) *Agg. 21.*

Punctum tertium. Respice S. Franciscum Xaverium, velut ideam, ac prototypum animæ amantis Christum, & internis divinarum inspirationum vocibus obsequentis, qui etiam inter quiescendum, ex habitu perfectæ charitatis suavissimè exclamabat dormiens: *O JESU! ô Creator mi!* Cùm quadam vice ad secundam quietem humeris suis Æthiopem gravissimum impositum, gestare sibi videretur; expergefactus deinde sudore, ac lassitudine diffuens, cùm intelligeret, quanta eum in novo Orbe tolerare pro Christi nomine, animarumq; salute oporteret, exclamavit ferventissimè: *Amplius, amplius Domine!* Dicens, & ipse cum Apostolo: (a) *Quis me separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames, an nuditas, an persecutio?* Idcirco dum Româ in Lusitaniam iter faceret, nullis precibus à Legato Regio Mascharenia induci potuit, ut vel modicum à via deflecteret in arcem Xaveriam ad suos, & imprimis ad Matrem, fratresq; consolandos diverteret, juxta illud Evangelicum: (b) *Neminem per viam salutaveritis.* Defle duritiam cordis tui, deplora inhumanitatem, quâ toties cœlesti Regi januas cordis tui turpissimè

(a) *ad Rom. 8.* (b) *Luc. 12.*



pissimè obserasti, vocésq; divinarum inspirationum rejecisti, & cogita, quòd, quemadmodum corpus deficiente vitalium spirituum copiâ languet, ac deficit, ita deficiente cœlesti vitâ, divinóque luminis splendore spiritus languet, ac periclitetur. Te igitur ipsum excita, & cum S. Xaverio, divinis vocibus promptissimè obtempera, quòd ut faciliùs consequi valeas, recurre ad Sanctum dicens:

O gloriose Xaveri! qui, ut divinis vocibus te ad propagandam fidem Christi in Insulas Mauricas invitantibus obedires; nullis hominum precibus, non terræ, marisque periculis, non barbarâ immanissimæ gentis crudelitate à glorioso proposito avelli potuisti; exaudi propitius te invocantem, tuisque apud Deum precibus impetra, ut cor intrepidum, animum fortem, spiritum Apostolicum ad obsequendum divinis vocibus consequi merear, & cordis mei januas semper cœlesti sponso aperiens in periculis cunctis, & adversitatibus cum Psalmista dicere valeam: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

E X A M E N.

I. Vide, quâ animi promptitudine  
divi-

divinis inspirationibus correspondeas; quomodo sis constitutus, dum internè cœlestibus monitis impelleris, tum ad cavenda vitia, tum ad virtutes prosequendas.

2. Disquire, quâ diligentiam te ad divinas has voces excipiendas præpares: præsertim verò in lectione spirituali, in audiendo verbo Dei, in sumendo pane Angelico, in auditione sacrosancti Missæ sacrificii? an semper cum Psalmista dicas: (a) *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

3. Adverte, qualiter admittas internos Tutelaris tui Angeli impulsus, continuò tibi sanctas, & puras cogitationes subministrantis, iisque ad bene operandum excitantis: an econtra periculosis ex improvise cogitationibus cor tuum exponas, persuasionesque dæmonis admittas, quas David: *Immisiones per Angelos malos* appellat, quibus nos vehementer ad peccandum impellit.

4. Perpende, an in operibus tuis conscientiam bonam dictamina, rectæque rationis regulas sequaris, quarum usus Sanctis Patribus idem est, ac *custodire conscientiam.* An econtra amoris proprii motibus, & corruptæ naturæ impulsibus

H

bus

(a) *Psal. 84.*

bus in præceps ruas, quod dicitur *conculcare conscientiam.*

5. Contende demum, ut quàm optime motus gratiæ, & naturæ discernas, quo illos admittere, hos verò radicitus ex corde valeas extirpare; diligenter adyta animæ tuæ cœlesti lumine lustrando, & attentè cap. 54. & 55. lib. 3. Thom. Kemp. de Imit. Christi perlegendo, cordique tuo firmiter imprimendo, illam solam veram characteristicam, & notam filiorum Dei esse, quando cœlestes impulsus, & divinæ gratiæ dictamina admittuntur, & prava corruptæ naturæ incitamenta negliguntur, juxta illud D. Pauli: *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.*

## DIES QUINTA.

### CONSIDERATIO V.

*De humilitate cordis ad suscipiendum spiritualiter, & per gratiam Christum requisitâ.*

**P**unctum primum. Assumens pro præsentis meditationis fundamento illud Apostoli: (a) *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens,* Considera non esse remedium ullum efficacius ad paranda corda nostra Christo per gratiam,

(a) *ad Philip. 2.*

tiam, quàm heroicam cordis humilitatem, qualem Dei Mater habuisse dicitur, de qua B. Bernardus: *Virginitate placuit, humilitate concepit.* Nam quemadmodum Joannes, Christi egit Præcurso-rem; ita necesse est, ut vera humilitas, sit dispositio, & Præcursor quidam charitatis, & Dei: (a) *Deus enim charitas est,* ut Joan. loquitur. Et si juxta Philo-  
 phum: (b) *Omnis locus debet proportionari locato,* ad hoc, ut cor nostrum aptum, ac proportionatum habitaculum fiat illius magni hospitis, qui, cùm esset im-  
 mensus, nullóq; loco comprehensibilis: *Exinanivit semetipsum formam servi acci-  
 piens;* Imprimis illud erit necessarium, ut anima se exhibeat, velut humilem ancillulam illius magni Domini, suúm-  
 que nihilum cognoscendo, dicat in om-  
 nibus cum Regio Vate: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Et cum Dei  
 matre: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi se-  
 cundum Verbum tuum.* Erubescere igitur, quòd, cùm pulvis sis, ac vilis vermicu-  
 lus terræ, & sepulchrum vanitatum, plenum peccatorum fordibus, nihilo-  
 minus te erigas, & sublimes de te ipso conceptus agites. Erubescere inquam, &  
 sine mora studium humilitatis assume, téq;

(a) Joan. 4. (b) Arist.

etq; in omnibus, ut decet, deprime, & illud D. Paulini cordi tuo insculpe: *Qui humilis corde est, cor Christi est.* Hoc age, si Deum vis semper in anima tua diversari.

Punctum secundum. Perpende, non sufficere ad præparandum, & disponendum cor tuum cœlesti infantulo per gratiam, si humilitatem quidem habeas, sed solum speculativam, in nihilo tui, miseriarumque cognitione fundatam; sed requiri humilitatem voluntatis, affectus, & charitatis, ut Dei Filius conformis, qui, cum esset *splendor gloria, & candor lucis æternæ, exinanivit semetipsum formam servi accipiens*; ut exemplo suo nos in hac tam necessaria, Deoq; grata humilitatis scientia erudiret. Et quoniam *Humiliatio*, ut docet Bernardus, *via est ad humilitatem*: Exerce te quam diligentissimè in heroicis actibus humilitatis, ex solo motivo charitatis, Deoque placendi; & abscondens te in abyssu tui nihili, repete sæpè illud: *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis, & cinis, & cum D. Ignatio, da mihi Humilitatem, & reverentiam tui amoris plenam Deus meus!*

Punctum tertium. Inspice, & obstupesce, admirandam, & heroicam Humilitatem D. Francisci Xaverii; omni-  
tem-

tempore, & loco, cum omni hominum genere exercitam. Etenim illustri Regum Navarræ familia progenitus, non semel mundi pompas, ac titulos inanes, ut Dei filio conformis fieret, heroicè conculcavit; verùm etiam Nuntii Apostolici dignitate à Christi Vicario insignitus, à Regibus, ac Principibus speciali honore, ac reverentiâ observatus; nunquam adduci potuit, ut vilissimi Nosocomii pædores, Regalibus palatiis, ad quæ ubiq; invitabatur, postponeret. Etsi Deus continuis æquè ac stupendis miraculis apud homines exaltabat Xaverium, ipse tamen in tanto virtutis splendore, nihil in se videre poterat, quàm id, unde de se quàm abjectissimè sentiret. Etenim quidquid eximium in divino obsequio præstare contigisset, non sibi, sed suorum Fratrum precibus ex toto referebat. In iis verò, quæ naturæ vires excedebant, fidei Fidelium, parvulorumque innocentia primas tribuebat; & in similibus, ut plausus hominum, acclamationesq; vulgi effugeret, in latebris si commodè poterat, sese occultabat; sin verò, ad solitudinem cordis confugiebat, in qua aded latere didicerat, ut nullus rumor, aut acclamatio populi humiliter latentem inveniret:

ret : Hinc est , quòd manum ab heroi-  
 cæ humilitatis actibus removeret nun-  
 quam , ut sunt , lectos ægris in nosoco-  
 mio sternere , vasa fordida expurgare ,  
 pedes abluere , plagas contrectare , foeti-  
 dissima miserorum corpora cum sum-  
 mo gustu complecti ; ac si unicæ essent  
 in orbe delitiæ , cum semivivis , tabo , fa-  
 niéq; diffluentibus corporibus delitiari.  
 Intuere igitur in hoc sublimi Apostoli-  
 cæ humilitatis exemplari , tuæ superbicæ  
 deformitatem ; deplora , ac detestare ani-  
 mi elationem , & magnum Apostolum  
 imitari contendens , recurre ad potens  
 ejusdem patrocinium , quò veram cor-  
 dis humilitatem valeas obtinere. Ex-  
 clama igitur dicens :

O humillime Xaveri ! qui innume-  
 ris , difficillimisque ; Evangelici ministerii  
 tui laboribus , quos in Jesu Christi fide  
 propaganda in extremis orbis partibus  
 exantlasti ; unicam DEI gloriam ,  
 animarumque salutem zelo Apostolico  
 indefessè quæsiisti ; quippe D. Paulum ,  
 Apostolum vas electionis , in contem-  
 ptu laudum , mundanæq; gloriæ imita-  
 tus es dicentem : *Mibi autem absit glo-  
 riari , nisi in Cruce Domini nostri Jesu Chri-  
 sti.* Exaudi humiliter supplicantem , &  
 à Deo veram mihi cordis humilitatem  
 impe-

impetra, ut JESUM Christum infantem  
dulcissimum, in cordis mei habitaculo  
in hac vita per gratiam retinere me-  
rear, ut post mortem eum in æterna  
gloria valeam contemplari, Amen.

E X A M E N.

1. Vide, an, ut debes, cognitioni pro-  
priae studeas: an te ipsum magni facias?  
an occulta vitiorum germina in corde  
tuo radicata cognoscere contendas.

2. Quomodo veræ humilitatis vir-  
tutem diligas: placeátne, an verò displi-  
ceat, cum sese tibi offert occasio humi-  
liationis.

3. Verba tua pondera, an non liben-  
tiùs, & frequentius eos sermones insti-  
tuas, qui ad tui laudem, existimatio-  
nèmq; conducunt; an id ipsum ab aliis  
fieri procures, ut in tui laudem, com-  
mendationèmq; loquantur.

4. An, quæ agis, ideo agas, ut laude-  
ris, & commendationem ab hominibus  
referas; non verò ut soli Deo purè pla-  
ceas, sed ut vanos populi plausus, accla-  
mationésq; consequaris.

5. Inspice demum statum animæ, &  
in quo veræ humilitatis gradu sis, dis-  
quire; an in primo, patienter contem-  
ptus, vilipensionésque tolerando? an in  
secundo, promptè, facilèq; sustinendo?



an verò in tertio, eadem læto, hilarique animo perferendo? & si cœlestem Infantem in corde tuo per gratiam recipere desideras; esto diligens, ac sincerus illius discipulus, qui docet: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

## SEXTA DIES.

### CONSIDERATIO VI.

*De Obedientia Divinorum præceptorum, ut Deus per gratiam in anima commoretur.*

**P**unctum primum. Assumptis pro fundamento hujus meditationis illis Christi verbis: (a) *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Considera, quòd ad præparandam animam, ut per gratiam divinum Infantem suscipere, & permanenter eum in corde conservare valeat; plusquam necessaria sit perfectissima Mandatorum Dei observantia, fundata in charitate, ad voluntatem Divinam integerrimè in rebus omnibus exequendam. Joannes enim ait: (b) *Qui servat mandata Dei, in illo manet, & ipse in Deo.* Omnes actus virtutum ab anima elicitum, ut meritorii sint, Deòq; grati, debent ex hac prompta,

(a) Joan. 14. (b) Joan. 3.

pta, & pia, voluntatem Dei in omnibus perfectè adimplendi obedientiâ, tanquã ex radice provenire.

Idcirco ait D. Gregorius: (a) *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasq; custodit.* Ideoq; necesse erit non solùm Divinæ legis præcepta observare, verùm etiam mandata Ecclesiæ; imò superiorum, quæ obligant sub gravi, aut levi peccato; in his enim omnibus ipsi Deo, tanquam supremo legislatori obeditur. Inspice igitur te ipsum; an in virtutum studio, & in disponendo corde tuo ad Dei habitaculum, in magnis æquè, ac in minimis voluntatem tuam mortifices: quare tepiditatem tuam, & propriæ voluntatis perversitatem detestando, tibi dictum existima: (b) *Perfectus eris, & absq; macula cum Deo tuo.*

Punctum secundum. Perpende obedientiam nostram, cùm non fervorum, aut mancipiorum sit, sed Filiorum Charitativorum, debere extendi etiam ad consilia, ad nutus, ad omnem supremi nostri Domini, & Patris cœlestis inclinationem, ut Divinam adimplendo, nostram ex toto abnegemus voluntatem. Hinc sequitur obediendum esse divinis

H 5

con-

(a) *Lib. 35. Mor. c. 10.* (b) *Deut. 12.*

consiliis, five nobis innotescant per internas Dei inspirationes, five ex Angeli nostri Tutelaris salutaribus instinctibus, aut in rectæ rationis, & Fidei dictamine, five etiam ex superiorum nostrorum, & eorum, qui nostras animas regunt, directione, semper id, quod perfectius, divinæq; voluntati conformius est, operando. Ita enim fiet, ut obedientia nostra : (a) *Melior sit quàm victima*, ut loquitur D. Gregorius; cùm hic non caro, sed voluntas nostra immoletur. Hæc obedientia fuit à Sanctis exercita, & ab ipso omnis sanctitatis fonte JESU Christo, mirabiliter in omnibus suis actionibus, tanquam in exemplari expressa; sic enim de se ipso apud Joannem loquitur : (b) *Quæ sunt placita ei, facio semper*. Erubescere ergo, te aded remotum esse ab hujus virtutis perfectione; econtra verò ita propriæ voluntatis tenacem. Et ut Divinus infans JESUS in corde tuo per gratiam manens tecum libentiùs habitet; præpara illi perfectæ obedientiæ cibum, qui solus divino hujus cœlestis infantis palato aridet, cùm dicat : (c) *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, & perficiam opus ejus*.

Pun.

L. 35. Mor. c. 10. (b) Joan. 10. (c) Joan. 4.

Punctum tertium. In S. Francisco Xaverio vivum exemplar veri obedientis agnosce. Etenim ad unicum nutum D. Ignatii, quamvis voto obedientiæ nondum alligaretur, Parisiis Venetias, inde Romam pedes, stipéq; ad vitam sustentandam emendicata, Româ verò in Lusitaniam, ac inde demum in Indias promptissimè navigavit. Scribens D. Ignatio, id non nisi aperto capite, positísq; in terra genibus factitabat, cujus epistolas tantâ reverentiâ, æstimationéq; prosequeretur, ac si eas de cœlo Angeli detulissent, & Deus ipse in illis loqueretur. Cupienti Marcello II. Summo Pontifici videre D. Apostolum, eiq; familiariter loqui, subjunxit Ignatius, cui probè nota fuerat Xaverii obedientia, quòd visâ unicâ literâ I. in signum obedientiæ transmissâ, cursum ille Apostolicæ Prædicationis interrumpere, & Romam ad obediendum advolaret. Quia verò magnus hic Apostolus noverat hanc virtutem esse mystici corporis Societatis Jesu avitam, sine qua nullus ejusdem Societatis Filius esse posset aliud, quàm membrum putridum, palmésque inutilis ex vite rescindendus; factum est, ut proprium socium Petrum Mansillam, plurésq; alios

magnorum talentorum viros, sed minus obedientiam illustres, è corpore Societatis separaverit. Unde verbò, & scriptò commendabat omnibus; ut ex toto se suorum Superiorum nutibus regendos permitterent, cum obedientia sit Dux, & cynosura, quæ animas ad æternæ beatitudinis portum perducit. Inspice igitur animam tuam, in quo gradu hujus virtutis consistat, & erubescete adedò dissimilem esse huic magno Sancto: studeas imposterum quàm promptissimè mandatis Divinis, tuorumque Superiorum nutibus obedire, & illud frequenter repetere: (a) *Domine, quid me vis facere?* Ut verò hanc virtutem in eminenti gradu obtineas, & Deum ex corde tuo nunquam dimittas; recurre ad D. Xaverium dicens:

O Xaveri obedientissime! qui postquam in schola D. Ignatii didiceras, virtutem obedientiæ esse cibum, vitam gratiæ conservantem, nec non viam, ac ducem fidelissimum ad æternæ salutis portum perducentem; ad unicum ejusdem D. Ignatii nutum relictâ Europâ, in vastissimas novi orbis partes ad promulgandam Evangelicæ veritatis lucem navigasti; qui mirabili submissio- nis exemplo ibidem Episcopis, eorumq;

(a) *Actor. 9.*

Vicariis, tametsi Apostolicæ Legationis dignitate fulgeres, in animarum lucrandarum munere obtemperasti; Te humillimè oro, atque obtestor, ut mihi à Dco veram obedientiam impetres, ut nascente in me per gratiam dulcissimo Infante JESU, dicere cum Regio Propheeta valeam: (a) *Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

E X A M E N.

1. Inspice modum, quo Superiorum tuorum mandata exequaris, tam in iis, quæ tuo arrident genio, quàm quæ tuæ inclinationi, sensualitatique sunt contraria.

2. An æquè in iis, quæ placent, quàm quæ displicent, obedias; etenim si illibenter, & cum interna murmuratione, repugnantiaq; obtemperas, signum est, te à vera obedientia esse quàm remotissimum.

3. Adverte, an in eo, cui obedis personam Christi ex puro divinæ voluntatis motivo respicias; an verò Superiorem dijudices, sitne magnus, an mediocris; doctus, an ignarus; prudens, an imprudens; eum in iis condemnando, quæ tibi exequenda imponit.

4. Confer obedientiam tuam cum obedientia S. Xaverii, num prompta.

(a) *Psal. 115.*

expe-

expedita, & certa sit; num in iis, quæ tibi imponuntur, investiges rationes, cur hoc, vel illud sit injunctum; an verò te in obediendo ita geras, quemadmodum in rebus fidei fieri assolet, ut ideo præcisè facias, quia Deus mediante superiore id fieri imperavit.

5. Demum examina, an in obediendo, ad affectus voluntatis pertingas, cor tuum, voluntatémq; perfectè voluntati divinæ conformando, Deóq; in omnibus ad exemplum Christi Domini placere studendo, qui dixit: (a) *Descendi è cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.*

## DIES SEPTIMA.

**P**urgatâ pravis inclinationibus animâ per formidabilis adventûs æterni Judicis *contra homines* considerationem: virtutibusq; exornata, per eas meditationes, quæ adventum Dei per gratiam *in homines* repræsentant; superest, ut Dei Matrem, & S. Xaverium imitantes, præparemus corda nostra, ut cœlestis infans benignissimus Jesus in iis nasci, piis, animarum nostrarum affectibus dignetur, & sanctis vitæ perfectioris operibus pasci. Quoniam hâc viâ

(a) *Joan. 6. v. 38.*

viâ verificari poterit, nos & Fratres, & Sorores, matrésq; illius esse, qui dixit: (a) *Quicumq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus Frater, & Soror, & Mater est.*

## CONSIDERATIO VII.

*De Verbi æterni in Virginali Deiparæ utero Incarnatione.*

**P**unctum primum. Considera, quòd æterni Patris Filius, tanquam summus Belli Dux, è cœlo ad tenebrarum Principem debellandum, & animarum regnum recuperandum missus, in claustro Virginali Deiparæ, stativa sua elegerit, tanquam in turri munitissima, de qua Sponsus in Canticis: (b) *Collum tuum sicut turris David, quæ edificata est cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Quemadmodum in re bellica illi plerumq; pugnant securiùs, qui locum aliquem munitissimum, quò se recipiant, habent; ita suo exemplo cœlestis Dux noster JESUS voluit edoctos, tunc nobis solummodo pugnam cessuram feliciter, hostésq; infernales à nobis facile debellandos; quando tanquam ad asylum, ad sinceram; filialémq; Virginis Deiparæ

pie-

(a) *Matth. 22.* (b) *Cant. 3.*



pietatem confugerimus. Quoniam ut ait Bernardus : (a) *Timent aëreae potestates* *MARIÆ* *vocabulum, patrocinium, exemplum; fluunt sicut cera à facie ignis, ubicunque invenerint crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.* Vide igitur, quod devotionis igne, quibus amoris flammis, erga hanc magnam Matrem cor tuum ardeat; & quoniam æterni Patris Filius humanam carnem induens nos Filios Dei per gratiam, amicos, & fratres suos suavissimè compeliens in adoptione generavit; conare & tu, ut te verum, ac dilectum Filium Mariæ exhibeas, illa sanctæ Matris Ecclesiæ verba frequentissimè repetens : *Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.*

Punctum secundum. Scire debes, veram devotionem, erga Dei Matrem non in solo pretio, æstimationeque gratiarum, & prærogativarum, quas à Deo accepit, consistere, neque in solis affectibus, aut desideriiis illam colendi; sed in heroicis humilitatis, charitatisque actibus, in ferventi divinæ gloriæ, animarumque juvandarum zelo : *Etenim, ut ait D. Ambrosius, nescit tarda molimina Spiritus*  
*San-*

(a) *In Spec. B. M. V. serm. 2.*

*Sancti gratia.* Quamobrem Deiparam imitari debemus, quæ suscepto jam in Virgineis suis visceribus Deo Verbo, tanquam margarita pretiosissima, ut Clemens Alex: loquitur, in cœlesti castissimi uteri concha: *Abiit in montana, cum festinatione*, ad sanctificandum magnum Christi Præcursores Joannem, non tam materni uteri claustro coarctatum, quàm originalis culpæ vinculis constrictum; qui ad conspectum Arcæ Testamenti, tanquam alter David: *Exultavit infans in utero.* Ita fidelis anima, quæ mediante sanctissimæ Virginis devotione, Deum in corde suo suscepit per gratiam, exultare debet ut gigas ad saliendum in montibus, & transiliendos colles virtutum, ardua omnia, ac difficilia sensui, in pietatis, devotionisque exercitiis superando; ut ita resecta cœlestium gratiarum cibo anima, dicat cum Psalmista: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Erubescere hinc, quod tua erga Virginem Deiparam devotio, & pietas sit aded remissa, ac tepida, aded in virtutibus sterilis; & resume animos ad eam imposteriorum imitandam, imprimis in perfectæ orationis, mortificationisq; exercitiis; ut ad perfectionis Christianæ cul-

men

men cum illa sancta anima pertingere valeas, quæ se ita animabat: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

Punctum tertium. Considera eximiam D. Francisci Xaverii erga Dei Matrem, omni loco, & tempore devotionem. Etenim cum ille electus fuisset Indiarum Apostolus, ad tenebrarum Principem, in vastissimis illis Regionibus dominantem debellandum, & ex animarum Regno in innumerabili gentium multitudine ejiciendum, voluit Verbum Incarnatum imitando, stativa spiritualium amorum suorum in Matris Dei Virginali utero statuere, hoc est, se in specialem tutelam, coeliq; Reginae patrocinium, in omnibus suis actionibus, tanquam ad asylum tutissimum recipere. Nomen enim Virginis, clypeus illi erat ad tela nequissimi retundenda, imò gladius acutissimus ad hostem infernalem profligandum. Ex quò fiebat, ut frequentissimè in illas prorumperet voces: *Monstra te esse Matrem! Mater Dei memento mei!* Cum quadam vice in Urbe D. Thomæ Apostoli ante Aram Virginis in oratione vigil pernoctaret, tantam in se dæmonum rabiem concitavit, ut ab illis gravissimè vapularet; sed recurrens devotè ad

Vir.

Virginem, infernales dispulit flagellatores. Malacæ votivum Deiparæ, Missæ sacrificium celebrans, Energumenum ab infernalis hospitis intemperis liberavit, eiq; cum usu linguæ, quem amiserat, etiam sanæ mentis usum restituit. Die, triumpho Assumptæ in Cœlos Virgini sacro, de Idololatria triumphavit in Japone, quando superstitiosos orandi ritus in Rosarii Mariani recitationem felicissimè commutavit. Demum mercatorem naufragum, solius corollæ Marianæ collo appensæ subsidio, dierum quinque spacio inter fluctus, tempestatésq; Oceani, velut in navi securissima navigantem, donec ad portum appelleret, conservavit. Stude igitur magnum hunc Sanctum in amore erga Deiparam imitari, téque totum dedica in filium matris misericordiæ, illa S. Germani Patriarchæ verba cordi tuo imprimendo : (a) *Quemadmodum continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa; ita sanctissimum Mariæ nomen, quod in Dei servorum ore assidue versatur, simul argumentum est, quòd verâ vitâ vivant, simul etiam hanc ipsam vitam efficit, & conservat, omnémque eis letitiam, operis ad omnia impertitur.* Et ut

Suce-

(a) *In Orat. de Deip. Virg.*

sinceram hanc erga Virginem Dei Matrem devotionem facilius impetres, recurre ad magnum Intercessorem Xaverium, dicens:

O gloriose Xaveri! digne fili Dei Matris sanctissimæ, ô serve fidelissime cœli Reginae! ô Verbi Incarnati imitator! qui concepto in anima tua ardentissimo propagandæ divinæ gloriæ desiderio, exultasti ut gigas ad currendum; terrasque ignotas, & Regna barbara incredibili charitatis zelo penetraisti; O sancte humillime! qui, ut ex servitute dæmonis Japonum animas eriperes, te ipsum in servitutem hominis coniecisti, obsecro humillimè, ut veram mihi, ardentemq; erga Virginem Dei Matrem devotionem impetres, & promptissimum animum divinam in omnibus voluntatem exequendi, ut sim verus servus, ac filius per gratiam, & in cœlo consors æternæ beatitudinis efficiar.

E X A M E N.

**I.** Perpende, an, ut par est, Dei Matris prærogativas æstimes, illas semper augere studendo, & in corde tuo sanctissimi hujus nominis magnitudinem radicando, ut de te etiam illud sapientiæ verificetur: *Et in electis meis mitte radices.*

2. Vide num hic tuus de Dei Matre sensus, in intellectu solùm, speculatione neque consistat, an verò transeat, ad ardentissimos charitatis affectus, solidæ humilitati in Dei, animarúmque obsequio conjunctos, qui ea omnia facile superent, ac perfringant, quæ amor proprius in via virtutum, Christianæq; perfectionis solet objicere.

3. Recole memoriâ, num in spiritualibus tuis conflictibus ad Dei Matrem quantocyùs, velut ad asylum, & salutis turrin tutissimam confugas, devotè interpellando: *Da mihi virtutem, ô Beata Virgo contra hostes tuos!*

4. Cogita quò fervore, quâ mentis applicatione quotidianum corollæ, aut Rosarii Mariani pensum Coeli Reginae persolvas, num tepidè tantùm, ac per consuetudinem; an verò externis vocibus internum affectum, desideriumque, dum eam laudas, associes.

5. Inspice demum, an tua erga Virginem devotio sit talis, qualis fuit S. Xaverii, qui indefesso studio virtutes Virginis imitari contendebat, specialiter in rebus difficillimis magnanimitatem spiritûs præseferendo, & totam spem, fiduciâmq; in Deo, Deique Matre collocando; ut jure cum Psalmista possis dicere.

dicere : (a) *Ego servus tuus , & filius ancillae tuae.*

## DIES OCTAVA.

### CONSIDERATIO VIII.

#### *De Nativitate , & Infantia Christi.*

**P**unctum primum. Statuendo fundamentum praesentis meditationis in verbis illis D. Lucae : (b) *Et peperit filium suum primogenitum , & reclinavit eum in Praesepe , quia non erat ei locus in alyverforio ,* Considera advenisse jam plenitudinem temporis : (c) *Apparuit benignitas , & humanitas Salvatoris nostri ,* ut ait D. Paulus, Deus immensus, aeternus, immortalis, Rex Regum, & Dominus Dominantium, carnis mortalis miseria induens, nascitur ex Maria Virgine, jacet in stramine, pannis involvitur, & primis humanae calamitatis testibus flendo Praesepe vilissimum irrigat, & calorem, quod foveatur, non à caeli Seraphin, sed ab animalibus abjectissimis vagiendo emendicat. Obstupefce igitur flentem in Praesepe, qui vultu suo Angelos laetificat in caelo; tementem praefrigore, qui Seraphin inflammat charitate; calore egentem, omnis vitae, ac

(a) *Psal. 115.* (b) *Luc. 2.* (c) *ad Tit. 3.*

caloris fontem. Transibis idcirco, ô anima Christiana! cum Pastoribus usq; in Bethlehem, *Domum panis*, quoniam *panis vivus de cœlo descendit*, qui ex sinu æterni Patris in medio terræ collocatus, omnes ad se invitat dicens: *Gustate, & videte*. Et, si magna est illorum miseria, qui fame perire potiùs eligunt, quàm ad panem præsentem manus extendere; quanta erit tua cæcitas, si panem vitæ, divinissimum inquam Infantem, qui cor tuum cœlesti dulcedine explere desiderat dicens: *Fili præbe mihi cor tuum*, turpissimè cum Bethlehemitis rejicias, ut non sit illi locus in animæ tuæ diversorio.

Punctum secundum. Considera, quò amoris, ac reverentiæ affectu Virgo sacratissima, *quem genuit, adorârit*. Cor illius Virgineum ad instar aurei, gemmîsq; exornati thuribuli: *Sicut virgula sumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & universi pulveris pigmentarii*, Sanctissimorum affectuum odores exhalabat. Oculi dulcissimis manabant lacrymis; lingua in suavissimas voces prorumpebat, dicens: O fili mi! ô mea lætitia! ô cœli gaudium! ô Angelorum jubilus! ô speculum omnis pulchritudinis! Salve in mundum adveniens salus mortalium!

Benè



Benè adveneris, ô Rex cœli, in terram nostram ! Postmodum humiliter prostrata, pedes tanquam Regi, manus tanquam Domino, os divinum tanquam dulcissimo filio exosculabatur, & incredibili amoris affectu amplexans, eum sinu suo Virgineo sovebat. Disce igitur à sacratissima Virgine. quâ te gerere debeas cum hoc divinissimo Infante, dum ad sacram mensam accedis; insuper erubescens teporem tuum, imaginare cor tuum esse sordidum, ac vile stabulum, ad quod Matrem Dei devotissimè invitabis, ut in illo suum reponat filium, per quem ex stabulo fiat Paradisus.

Punctum tertium. Recogita universam vitam S. Francisci Xaverii, ferventem, ac continuam fuisse orationem: Etenim ubicunq; gentium inter barbaros degeret, indefinenter respiciebat, & suspirabat ad cœlestem Hierusalem, ut meritò cum D. Paulo posset dicere, *nostra autem conversatio in cœlis est.* Diem in auxilio proximi tanquam Apostolus expendebat, noctem verò veluti ferventissimus Anachoreta, in profundissima contemplatione, illud Psalmistæ respiciens, consumebat: (a) *In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte*  
 (a) *Psal. 41.*

*canticum ejus.* Obstupeſce profundiffimam S. Apoſtoli humilitatem, & reverentiam, quâ ſacrum Miſſæ ſacrificium celebrabat, & auguſtiſſimum panem Angelorum com̄unicantibus diſpenſabat. Goæ hoc ipſum genuflexus ad majorem reverentiam præſtare ſolebat, non plus aliis, quàm ſibi de pane gratiarum communicans, quoniam tam in vultu ipſo extrinſecè toties, quàm intrinſecè in amoris flammis erga eum, quem geſtabat, diſſolvebatur. Deo ſemper interna recollectione animi unitus adhærebat, adeò ut in concionibus, catechiſmis, imò in familiaribus colloquiis etiam eum fervorem, ac ſplendorem præſeferret, quem multi oculis ſuis perferre nequirent. Demum in mortali degens corpore, vitam cœlicam ducebat, & inter medios innumerabilium curarum fluctus, jactâ amoris in Deum anchorâ in continua quadam contemplatione conquieſcebat. Hinc cognoſcere poteris, quantus tepor tuis inſit orationibus, quot diſtractionibus dilacerentur; ut erubefcens te adeò diſſimilem huic magno Apoſtolo, imitari eum impoſterum ſtudeas in exercitio continentis orationis, ut dulciſſimum Infantem JESULUM v. v. fidei oculis aſpicere, & ardentiffi-

mi amoris sinu complecti merearis. Quo  
verò faciliùs hoc tam sublime oratio-  
nis donum à DEO impetres, implora  
magni Apostoli auxilium, intercessio-  
nemque dicens:

O mirabilis Xaveri! qui elevatis in  
cœlum in oratione manibus, velut al-  
ter Moyfes, gloriosas sæpè victorias con-  
tra innumerabiles Barbaros, cum exi-  
guo Neophytorum numero confligen-  
tes, reportâsti, quique oratione tuâ Deo  
gratissimâ, tanquam virgâ Moyfis ad-  
mirabili, mare procellosum domuisti, &  
elementa tuis nutibus subjecisti; Oro  
suppliciter, ut donum orationis, ardens-  
que desiderium videndi in corde meo  
divinissimum InfanTEM JESULUM impe-  
tres: Ut illum vivæ fidei oculis in vili  
præsepio Bethlehem, inter bruta vagien-  
tem admirans, merear postmodum inter  
Beatorum choros ardentissimæ charita-  
tis affectibus contemplari; semper di-  
cens cum S. David: (a) *Tibi dixit cor  
meum! exquisivit te facies mea, vultum  
tuum Domine requiram, Amen.*

E X A M E N.

I. Vide, num anima tua post conce-  
ptos pios affectus, & bonorum operum  
desideria in iis solùm sistat, nec ulterius  
progredi ad solidæ humilitatis, & sic

Etæq; charitatis exercitium contendat, cum periculo, ne ob sterilitatem, divinæ maledictionis sententiam, cum ficu illa Evangelica incurrat.

2. Perpende, an sancta tua proposita sine dolore parturias, Christi Matrem imitando: *Non ex tristitia, aut necessitate,* ut ait Apostolus: an verò cum mentis alacritate, & cordis promptitudine virtutum opera exerceas, illud recogitans, quòd (a) *Hilarem datorem diligit Deus.*

3. Pondera, quâ mentis applicatione, ac diligentia in sancto orationis opere verseris, an distractiones dispellas, ut fructum capias, si eam ad alias actiones, & vitæ tuæ munia dirigens, quàm perfectissimè obire coneris.

4. Vide, quæ tua sit ad sacram Eucharistiæ mensam accessuri dispositio, quis affectus, quæ reverentia, quæ humilitas, dum in cor tuum divinissimum Infantem, in Communionem aut sacro Missæ sacrificio admittis.

5. Demum adverte, num, postquam divinum Infantem in Communionem, aut sacro Missæ sacrificio in cordis tui habitaculum admisisti, eum, ut par est, candidissimo castorum affectuum lacte, & cibo obedientiæ, in omnibus præceptis,

(a) *ad Corinth. 9.*

atque consiliis Evangelicis ipsi gratissimo, pascas. Et, an eum involvas in pannis ardentissimorum affectuum, propositorumq; , eum solum unicè diligendi, eique omni cum perfectione serviendi, dicens cum Sponsa : *Inveni, quem diligit anima mea, inveni eum, nec dimittam, donec benedixerit mihi.*

## DIES NONA.

### CONSIDERATIO IX.

*De infinito amore DEI, in mysterio Incarnationis mortalibus exhibito.*

**P**unctum primum. Accepto hujus meditationis fundamento ex illis Christi Domini verbis apud Joannem cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Considera, finem adventûs Filii Dei in hunc mundum, non fuisse alium, quàm ut corda nostra divini amoris igne inflammaret; quemadmodum loquitur : *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Ad excitandam igitur in anima nostra divini hujus ignis flammam; primò, hoc puncto perpendendus est excessus infiniti amoris, quo Deus dilexit mundum, ut suum unigenitum Filium daret, tanquam Magnetem fortissimum ad corda nostra ad cœli portum pertra-

hen-

henda. Et sicuti promptus Patriarchæ Abraham animus ad unigenitum Filium suum Isaac immolandum, signum erat eximii in Deum amoris; ita Pater æternus exhibendo nobis suum unigenitum Filium demonstrat super omnia, quanto amore mundum prosequatur. Igitur tanto, tamq; eximio amoris correspondere debemus, excitando corda nostra iis motivis, quæ omne frigus spiritûs expellere valeant, nos ipsos adhortantes cum devotis pastoribus: (a) *Transseamus usque in Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est; deinde verò ad motum aquæ Spiritûs Sancti in cordibus nostris excitatum, offerre cum sanctis Regibus, Regi sæculorum non solum Myrrham lacrymarum, & pœnitentiæ cum suavissimo orationis, & devotionis Thure, verum etiam purissimum charitatis aurum, illud Evangelistæ Joannis, dilecti Domini discipuli, cordibus nostris imprimentes: Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.*

Punctum secundum. Considera, vero Dei amoris non sufficere solos affectus, & desideria placendi Deo, sed opus esse, ut in actus heroicos divinæ gloriæ,

(a) Luc. 2.

proximorumq; salutis, juxta D. Gregorii dictum erumpat : (a) *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* In hoc igitur imitanda est dulcissima Dei Mater, quæ parvulum suum in Præsepio natum, pannis involvit, sinu suo castissimo fovit, & lacte Virgineo nutrit. Tunc enim & nos idem præstamus, quando piis affectibus humilitatis, & charitatis, affectus conjungentes, Christum in pauperibus alimus, & vestimus. Ad hæc summâ vigilantia nobis opus est, ne Herodis crudelitas suscepto in corda nostra Infantulo divino noceat. Quoniam *Dæmon, cujus cibus electus*, unicè satagit in cordibus nostris pietatis, & charitatis divinæ semina præfocare. Disquire igitur arcana cordis tui, & vide : an dulcissimum hunc Infantem Sanctarum cogitationum, ac operum cibo nutrias, eum strenuè diu, noctuque, ab insidiis Herodis infernalis defendendo, ut olim, audire merearis : (b) *Esurivi, & dedisti mihi manducare, hospes eram, & collegisti me.*

Punctum tertium. Recognosce, & obstupesce Apostolicam D. Francisci Xaverii, cum erga Deum, tum proximos charitatem, non in verbo solùm; sed ut ait Apostolus Joannes : *In opere, & veritate,*

*tate*, elucescentem. Etenim amor Xaverii, cordis, ac pectoris capacitatem superans, vestis dilatatione, quam identidem totus ardens à pectore removebat, erat temperandus ; quoniam adeò vehemens in corde magni Apostoli divini amoris ignis exæstuabat, ut testetur Bulla Canonizationis, eum *vultu inflammato Angelicam prorsus charitatem representasse*. In corde verò tantum subinde excitabatur incendium, ut non solum madefactis linteis ardens pectus refrigerare, sed in ipsas subinde aquas, ad divinæ charitati in ipsum corpus ex corde exundanti, modum ponendum, infilire debuerit. In oblatione verò incruenti Missæ sacrificii, & gratiarum actione omnem modum divinarum flammarum ardor excedeabat, ità ut præ nimio cœlestis dulcedinis æstu subinde exclamare debuerit : *Sat est, Domine, sat est.*

Tantâ enim amoris vi ad cœlestia ferebatur illius anima, ut ipsum corpus divinæ charitatis Magnete attractum, à terra in sublime raperetur ; ubi sæpè pluribus horis adinstar Seraphici Spiritûs, alis amoris vultum ardentissimum obtegentibus, immotus persistebat.

Neque minores amor proximi, ger-



manus divini amoris Frater, in Apostolici viri pectore ardores excitabat, qui  
 (a) *Omni- bus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret*, ut alter Apostolus *in charitate non ficta* verborum, sed veritate heroicorum operum, quibus vires suas, vitam, ac labores omnes in omnium hominum genere, nullâ conditionis, personarum, locorum, temporumque habitâ ratione expendebat; ut meritò de se, quod olim vir ille rectus, dicere potuerit: (b) *Oculus fui cæco, pes claudò, Pater eram Pauperum.*

Quid autem de amore illo dici potest, quo ægros miserrimos, aut semiviva potius infirmorum cadavera, tam in privatis pauperum casis, quàm publicis Nosocomiis, ut Pater, Mater, Frater, ac peritissimus Medicus, in abjectissimis officiis indefessè diu, noctûq; inserviens curabat. Sed quemadmodum anima corpore est pretiosior, ita vehementior charitatis impetus ex Xaverii pectore in animarum salutem, velut gemmarum pretiosissimarum lucrum ferebatur, ut meritò de illo dicere possis, quod olim de Matre sua Petrus Cluniacensis: *Collegerat in uno suo corde animas singulorum.* Lætare igitur anima Christiana, quòd  
 (a) *ad Corinth. 2.* (b) *Job. 6. 29.*

quòd Deus in vivo hoc Apostolicæ vi-  
tæ, & charitatis exemplari adeò fuerit  
glorificatus; & deinceps erubescere, te  
tam remotum ab illius perfectionis ter-  
mino, in divini obsequii statu vixisse.  
Idcirco ad illum supplex refugias, ut ar-  
dentissimum amorem Dei, salutari ani-  
marum salvandarum zelo conjunctum  
tibi impetret. Age, exclama ergo:

O gloriosissime Xaveri! qui à Deo ad  
sortem Apostolatûs Indici felicissimam  
electus, tuæ Apostolicæ prædicationis  
luce tot Provinciarum, ac Regnorum  
tenebras illuminasti, ad veri Dei agni-  
tionem perducens amplius duodecies  
centena hominum millia; & Seraphicæ  
tuæ charitatis ardore tepidorum Chri-  
stianorum pectora, ad amorem divi-  
num excitasti: Exaudi propitius, & im-  
petra, ut extincto in me omnis creatæ  
pulchritudinis amore totum cor puris-  
simæ Dei charitati, zeloque animarum  
consecrem, tuisque insistens vestigiis dul-  
cissimum InfanTEM JESUM, cum Sanctis-  
simo sene Simeone, fidei oculis videre  
merear in terra, illud inclamans: (a)  
*Viderunt oculi mei salutare tuum, & post-  
modum æternâ charitate tecum in cœ-  
lo contemplari.*

(a) *Luc. 2.*

E X A M E N.

1. Inspice, an bona desideria in opus redigere coneris, an verò velut immaturos fructus in ipso partu soleas ob respectus humanos præfocare.


2. An opera tua, ab interna vi spiritus feliciter in lucem edita, speciali cordis, sensuumq; externorum cura custodias; præcipuè verò, an divinissimum Infantem JESUM in sacra synaxi susceptum ab Herodis, id est, amoris proprii, dæmonisq; insidiis, qui continuò mortem eidem in corde tuo minantur, ut par est, tuearis.

3. Considera, & perpende animæ tuæ affectus, an cor tuum rebus creatis affigant; totumq; amorem in Creatoris dilectionem convertendo, dic cum Regio Psalte: (a) *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?*

4. An opera tua ex purissimo DEO placendi fine exerceas, eaq; divinæ Majestati actualiter, non solùm manè, dum evigilas, sed in ipforum initiis, medio, & fine, directis in cælum affectibus, ex toto offeras, in odorem suavitatis, dicendo cum sanctissimo Rege David: (b) *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari tuo.*

5. Demum expende, quantus in te

languor, fervorisque in via spiritus remissio, animam tuam occupet; ut nec tuæ, nec proximorum saluti, ac perfectioni, ut deberes, te impendas, sed honorificis, ac speciosis intentus, humilitatis, & charitatis ministeria negligas, Dei gloriam, proximorumq; auxilium, tuis commodis, inaniqu; hominum estimationi postponendo.



P A R S VI.  
 CULTUS DIALIS,  
SEU  
 DEVOTIO AD SANCTUM  
*Pro una tantum die.*

I N T E N T I O.

**D**iem hunc, ô S. Pater, Francisce Xaveri, & quidquid in eo boni fecero, præsertim N. N. tibi ex toto corde offero, ad honorem Divinæ bonitatis, ad cultum, & gloriam B. MARIE Virginis, ad impetrandam denique intercessionem tuam, ut per eam obtineam à DEO meo gratias N. N. & in omnibus me sanctissimæ ejus voluntati perfectissimè conformem, Amen.

*Modus transigendi hanc diem.*

**P**ræter cætera pietatis opera, ut sunt cum primis SS. Pœnitentiæ, & Eu-

charistiæ Sacramenta obire, mortificationem aliquam assumere, &c. Die hac sequentes aspirationes, aut ex iis aliquas, sancto ipsi olim perquam familiares, utiliter, & cum fructu identidem repetes. Sunt autem hæ: *Laudetur DEUS!*

*O Sanctissima Trinitas! miserere nobis!*

*Da nobis, Domine, sanctissima voluntatis tuæ perfectè semper agnoscendæ, & adimplendæ gratiam.*

*Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam!*

*Quis mihi det, ut moriar pro te, & cognoscant te omnes fines terræ?*

*Amplius! Domine, cruciari amplius!*

*DEUS cordis mei, & pars mea, DEUS in æternum!*

*Satis est, Domine, si te habeam, satis est.*

*JESU Christe, Fili DEI vivi, da hoc nobis, ut te super omnia diligamus.*

*Oro, & obsecro te, Domine JESU Christe, da mihi gratiam hodie, & toto vitæ meæ tempore, perfectè observandi tua præcepta.*

*Domine mi JESU! amor cordis mei, per illa quinque vulnera, quæ tibi in Cruce nostri amor inflixit, succurre servis tuis, quos pretioso sanguine redemisti.*

*Ad elevationem in Missa: Adoro te, mi Domine JESU Christe! & benedico tibi, quia*

quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum, & me, Amen.

Adoro te, sanguis mei Domini JESU Christi, qui effusus es in cruce, ad salvandum peccatores, & me, Amen.

*Ad Virginem Deiparam*: Domina optulare! Sanctissima Deiparens, cœli Regina, quæ, quidquid oras filium, semper exoras; adesto Advocata nostra!

*Suspiria Sancti inter dormiendum.*

*Mi DEUS! dulcis JESUS! ô bone JESU!  
ô Creator mi!*

*Aspirationes ejusdem morientis.*

*JESU, Fili David, miserere mei!*

*Tu peccatorum meorum miserere!*

*Mater DEI, memento mei!*

*Monstra te esse Matrem!*

*JESU! DEUS cordis mei!*

*In te, Domine, speravi, non confundar  
in æternum!*

*Consideratio.*

**S**erviet pro hac die illa ipsa, quæ à S. Parente Ignatio, sæpius olim Xaverio fuit inculcata; nimirum pauca illa verba: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Consideravit hæc Xaverius, & diligenter, & sæpius considera-  
vit:

vit : sed quem tandem fructum est consecutus ? eum nempe, ut non inanes tantum sæculi vanitates , glorioso ausu contemneret, non sui unius salutem ardentissimè procuraret ; sed tot millium etiam animarum lucra orco eriperet, & divino omnes servitio manciparet. Amas & tu majorem salutis tuæ curam addiscere ? amas fortè & proximorum tuorum animas Deo lucrari ? Considera, quod consideravit Xaverius ; expende, quod expendit Xaverius ; sed non obiter , non perfunctoriè , sed seridè , & diligenter. Da hoc animæ tuæ, da æternitati ; ut, si non quotidie, hodie saltem, ac deinceps etiam quâvis hebdomadâ, unum, alterúmve quadrantem, sententiæ huic accuratiùs expendendæ impendas. Si nunc fortassis laboris hujus assumendi te pigeat, si tædium, nescio, quod experiaris ; aude contra , & tam utile salutis tuæ promovendæ medium ne dimitte. Senties, crede mihi, tantillæ considerationis tuæ fructum, & nunc in omni vita , & olim quàm maximè, cùm ultima instabit hora ; nunc quidem : quia ab inordinata rerum creaturarum affectione animum tuum avulsum experieris, neque aut prosperis elevaris, aut adversis deprimèris ; sed tuæ

tantummodo salutis, divinæq; in omnibus voluntati adhærebis. Post talem autem vitam quid non gaudii, quid non solatii expectare potes in morte? illud certè, ut dicere queas: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine! in pace.* Si hæc placent, si grata sunt; age, quod agendum suavisimus, & consequèris. Quære igitur frequenter ex te ipso: quid prodest mihi, si mundum universum lucrer; animæ verò meæ patiar detrimentum? si honores, si gloriæ stimuli ad malum aliquod te impellunt; quære illico: quid prodest? si mundi, & carnis blandimenta, si illicitæ cupiditates, ad peccandum te alliciunt; quære iterum: quid prodest? si amicorum, aut potentum gratia, quam fortè desideras, te in salutis tuæ discrimen adducit; quære denuo: quid prodest? si denique mundi totius lucrum, si quidquid boni optare in terris potes, vel unicò tibi emendum peccatò esset; rursus ex te quære: quid prodest? transibit hoc, & transibit illud; & quid tandem morienti mihi remanebit? si mundum totum lucratus sum, & animæ meæ detrimentum feci, salutem meam amisi, regnum cœlorum perdidisti, quid prodest? quid erit tota æternitate? Hæc, inquam, frequen-



quenter ex te quære, scrutare, & quæ  
facienda intelliges, exemplo S. Patroni  
tui, Francisci Xaverii, constanter in  
opus redige, & vives.

*Oratio pro hac die sæpius dicenda.*

**D**omine JESU Christe, per illa quin-  
que vulnera, quæ tibi in cruce no-  
strî amor inflixit, intercedente S. Fran-  
cisco Xaverio, famulis tuis subveni,  
quos pretioso sanguine redemisti. Qui  
vivis, & regnas, cum Deo Patre, &c.

**Psalmus 139.**

*Quem sanctus Xaverius, dum inter barba-  
ras Gentes versaretur, recitare solebat:  
utî ipse P. Michaëli Rossi S. J. comparens  
anno 1681. manifestavit.*

**E**Ripe me Domine ab homine malo:  
à viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in cor-  
de, tota die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas, sicut serpen-  
tes: venenum aspidum sub labiis eo-  
rum.

Custodi me Domine de manu pecca-  
toris: & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus  
meos: absconderunt superbi laqueum  
mihi.

**Et**

Et funes extenderunt in laqueum :  
juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino : Deus meus es tu : ex-  
audi Domine vocē deprecationis meæ.

Domine, Domine virtus salutis meæ:  
obumbrâsti super caput meū in die belli.

Ne tradas me Domine à desiderio  
meo peccatori: cogitaverunt contra me,  
ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circuitus eorum : labor labio-  
rum ipsorum aperiet eos.

Cadent super eos carbones ; in ignem  
dejicies eos, in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terra :  
virum injustū mala capient in interitu.

Cognovi, quia faciet Dominus judi-  
cium inopis : & vindictam pauperum.

Veruntamen justī confitebuntur no-  
mini tuo: & habitabunt recti cum vultu  
tuo. Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

*Actus fidei, spei, & charitatis, post exa-  
men super præcepta Decalogi.*

**C**Redo firmissimè fore, ut si, quod ab-  
sit, præoccupet me mors, nondum  
expiato aliquo gravi peccato, contra  
quoddam ex his decem Dei præceptis à  
me commisso, statim inexorabiliter in-  
felix anima mea detruderetur in sempiternum incendium inferni, illic per to-  
tam

tam æternitatem sine ulla redemptione crucianda. Idem pariter persuasissimum habeo, planè futurum, ut si, quod spero, & cupio, quando ultimum spiritum redam, mundus fuero ab omni culpa lethali, & si jam hinc corrigam pessimum morem peccandi contra decem DEI mandata; futurum, inquã, ut Deus Dominus noster misereatur animæ meæ, & quantumvis multa in vita peccaverim, perducatur me ad salutem æternam, quæ est gloria Paradisi, priùs expiatis peccatorum maculis, aut per labores, & ærumnas vitæ patienter toleratas, aut per cruciatus purgatorii.

Christe Jesu Deus, & Domine mi, fretus ego tuâ divinâ misericordiâ, spero per tua merita fore, ut motus, & adjuvus tuâ gratiâ, cooperando cum operibus Christianis, & observando tua mandata, perveniam aliquando ad gloriam, & felicitatem, ad quam me creâsti. Amo te, Deus mi, super omnia ex toto corde meo: pœnitet me offendisse te, cùm sis, qualis es, omni laude, veneratione, obsequio dignissimus, propter summum amorem, quem tibi debeo; & quia te longè pluris, quàm quidvis, quantumlibet magnum, æstimo, firmissimè statuo, nunquam me acturum, quod

quod offendere possit tuā divinam voluntatem, & me conjiciat in periculum excidendi à tua sancta gratia, Amen.

*Actus aliarum virtutum.*

**D**EUS meus omnipotens, Pater animæ meæ, Creator universorum, quæ in mundo sunt : in te Deus, & Domine, in quo totum meum bonum situm est, certissimam fiduciam colloco ; & sine ulla dubitatione spero, me salutem æternam consecuturum à tua gratia per merita infinita mortis, & passionis Domini mei Jesu Christi, quantumvis peccata, quæ commisi à tenera ætate mea usque ad hunc diem, valde magna, & multa sint. Tu Domine creâsti me, & dedisti mihi corpus, & animam, & quantum habeo. Tu solus, & non alius plasmâsti me ad imaginem, & similitudinem tuam. Reddo tibi, mi Deus gratias, & laudes infinitas, præsertim quòd tribuisti notitiam fidei, ac legis veræ Filii tui Jesu Christi. Appende in statera, Domine, peccata mea, cum meritis mortis, & passionis Domini mei Jesu Christi, & non cum exilibus, aut nullis meritis meis, & sic liber ero à potestate inimici, & ibo fruiturus in æternum gloriâ Paradisi, Amen.

*Aspi-*

*Aspiratio ad Christum Crucifixum.*

**N**on me movet, Domine, ad amandum te, cœlum, quod mihi promifisti : nec horrendus infernus movet me, ut non offendam te ; Tu me moves mi Deus ; movet me, quòd videam te cruci clavis affixum, & excarnificatum. Movet me, quòd videam corpus tuum tam vulneratum. Movent me opprobria tua, & mors tua. Deniq; movent me hæc mi Deus, & ita movent, ut si non effet infernus ullus, tamen adhuc timerem te ; & si nullum effet cœlum, adhuc amarem te. Non habes, quod mihi des, pro quo te amem ; quia, tametsi ea, quæ spero, non sperarem, æquè ac nunc te amo, te amarem.

*Exercitium præcipuarum Virtutum.*

**A**doro te, Sanctissima Trinitas, Pater, & Fili, & Spiritus Sancte. Persuasissima habeo, quæ de te, Deus meus, Une, & Trine, quæq; de Filio Patris æterni, pro me homine factò, pro me passò, mortuo, revivifcente ; cum Patre, & Spiritu Sancto in cœlis regnante, & quidquid aliud Sancta Catholica, Apostolica, Romana docet, ac profitetur Ecclesia. Paratus omnem jacturam, omnem

nem vim perpeti, sanguinē, quin etiam vitam prius profunderē, quàm extorqueri mihi fidem illam finam, aut de ulla ejus parte dubium unquam vel minimum admittam. In hac confessione certissimum mihi est vivere, & mori; quòd si, cùm ad supremam horam venero, fari non potero, jam hinc pro eo tempore conceptis verbis ex animi mei sententia, te JESUM Dominum Dei Filium agnosco, in te credo, tibi omnes meos sensus demississimè subjicio, Amen.

A te quoque mi Redemptor Christe JESU, & tuâ divinâ misericordiâ spero fore, ut per tua merita, adjutus auxiliis tuæ gratiæ, cooperando bonis operibus, & Sanctæ tuæ legis præcepta exequendo, perveniam aliquando ad gloriam, & felicitatem, ad quam me creare, ac vocare dignatus es, Amen.

Te præterea mi DEUS ! amo super omnia, & ex toto corde odi, ac detestor peccata, quibus te offendi, quia tibi displicent summè bono, & amabili; cui, ut incomparabilem debere me fateor, & exhibere conor charitatem, ita te longè supra omnium speciosarum, & præstantium rerum pretium æstimo: firmissimèque, & irrevocabiliter statuo, nunquam me consensurum in offensam tui,  
aut

aut quidquam quomodolibet acturum, quod tuæ supremæ minùs probatum bonitati, me conjiciat in periculum excidendi à tua sancta gratia, in qua perseverare ad extremum usque spiritum, deliberatissimum mihi est, Amen.

*Pia precatio pro remissione peccatorum,  
& pro inimicis.*

**D**omine Jesu Christe, benignissime Salvator hominum, per sanctam Crucem tuam, quam tui purissimi corporis contactu consecrasti, & tuo pretioso sanguine purpurasti; per virtutem passionis, & mortis, quam pro me in illa pertulisti, ignosce peccatis meis, sicut ignovisti latroni tecum crucifixo; concede mihi victoriam de inimicis animæ meæ, & trahe per tuam gratiam homines mihi contrarios ad veram agnitionem tuæ Divinitatis, & pœnitentiam culparum suarum,

AMEN.

FINIS.



Bayerische  
Stadtbibliothek





